CAROLI
DE AQUINO
SOCIETATIS JESU
CARMINUM
Tomus II.

ROMÆ, MDCCII.

Ex Typographia Antonii de Rubeis in Platea Cerensi.

Superiorum Permissu.

THYRSUS GONZALEZ

Præpositus Generalis Societatis Jesu.

CUM librum, cui titulus: *Carminum Tomus Secundus*, à P. Carolo de Aquino Societatis nostræ Sacerdote compositum, aliquot ejusdem Societatis Religiosi recognoverint, & in lucem edi posse probaverint, facultatem facimus, ut typis mandetur, si iis, ad quos pertinet, ita videbitur: cujus rei gratiâ has literas manu nostrâ subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 10. Aprilis 1702.

Thyrsus Gonzalez.

Imprimatur

Si videbitur Reverendissimo Patri Magistro Sac. Pal. Apostolici.

Dominicus de Zaulis Episc. Verulanus Vicesg.

EGO subscriptus testor, hujusce Voluminis, quod *Caroli de Aquino Societatis Jesu Carminum Tomus Secundus* inscribitur, quicquid manuscripta continent perlegisse, ex Commissione Reverendiss. P. F. Paulini Bernardini Sac. Pal. Apost. Mag. nihilque in eis deprehendisse, quod aut Fidei Catholicæ, aut morum puritati adversetur; imò verò omnes ferè lineas eò tendere, ut Lectorem ad pietatem, & morum honestatem sectandam ubique provocent, ut decet eas, quas ab Auctore in D. Ignatii Scholis, & Religione instituto ducendas omninò esse quemque sibi meritò polliceri oportebat.

Julius Cæsar Cherubinus.

Imprimatur.

Fr. Paulinus Bernardinus Ord. Præd. Sac. Pal. Apost. Magist.

Hoc

Hoc II. Tomo continentur.

Heroicorum Libri II.

Elegiarum Libri III.

Lyricorum Liber.

HEROICORUM
LIBER PRIMUS.
DE
VARADINI EXPUGNATIONE
CARMEN I.
ARGUMENTUM.

Donatus Haislerius, & Joannes Baptista de Auria, Bello Hungarico notissimi Duces, & mutua inter se familiaritate conjuncti, cum à Turcis capti essent in prælio; Auria in ipsa captivitate diem obiit; Haislerius ingenti mercede pactus libertatem, Varadinum mox expugnavit. Verissimum hunc eventum hac Fabula convestimus. Summus apud Turcas Sacrorum Præfectus metum iisdem injecerat, ne

Haislerium dimitterent: fore enim, ajebat, ut munitissimam Urbem in Hungaria armis caperet. Turcæ auro illecti liberum quidem faciunt Haislerium; sed illum, ad suos deducere obtendentes, in impeditissimum saltum, & inextricabilem conjiciunt. Qui, dum, frustra obtenta libertate, post longos errores defatigatus quieti se tradit, dormienti se obtulit amicissimus Auria: monet, ut ad obsessum jam Varadinum convolet: aditum docet è saltu egrediendi; simulque æratum speculum eidem tradit in scuto, Serico amictu involuto, non nisi summo instante vitæ discrimine denudandum. Erat autem scuti speculum miri admodum operis; ut in quo non seipsum, qui illud cerneret; sed, quem maximè odisset, hostem intueretur. Tendit Haislerius Varadinum: cujus obsidio in longum trahebatur; nam Arcem tuebantur Umbræ Amurati, Bajazetis, & Solimani; qui olim Turcici Imperatores in Pannonia fortissimè dimicarunt. Adversus quos dum solus iniquo loco congressus Haislerius summum periculum adit, Clypeum retegit; cujus objecta luce, Amuratus Joannem Hunniadem; Bajazetes Matthiam Corvinum; Solimanus Carolum Quintum Cæsarem, suum nempe quisque hostem

ſtem inſenſiſſimum vident. Quibus minantibus dum perterrefacti concidunt, relictum ab illis Varadinum Auſtriacis deditur.

CARMEN.

LUdimur? an palmis iterum felicibus Iſter
Luxuriat? longo Varadinum Marte ſubactum
Faſcibus Hungariam Auſtriacis, & Dacica Regna
Addidit? an vanæ fingunt ſibi gaudia mentes?
Vera Fides: nec fas mendacem credere Famam,
Portentis majora licet de Cæſare narret.
Martem infelicem, maleſauſtaque ſigna ſequuti,
Spe miſera & ſolùm fortes, quò tenditis ultra
Biſtonidæ? Ottomanûm necdum immutabile fatum
Noſcitis? invíſam terris excindere gentem
Feſtinant Superi: en jactis nova vulnera telis
Continuant; nullique vacant à cladibus anni.
Ipſa fatigatos ungues Regina volucrum
Conqueritur; nullaſque moras à fulmine, nunquàm
Auſtriaca ceſſante manu. Jam Regius ales
Dedignatus iter, Dravoque, Iſtroque paratum,
Iſmariũ per Athon, Rhodopenque, Hæmũq; nivalem
Victor agit pennas; turreſque illapſus Abydi
Terret; & antiqui repetit cunabula nidi.
I nunc, inſano poſcas & fœdera faſtu,
Thracia, ſic etiam vultus mentita ſuperbos:
Quæ miſeram deceat, celſaque è ſede ruentem
Indue fortunam: dum fœdera victa requiris,
Antiquos dediſce animos; & ſupplice luctu

Fle-

Flecte lacessitas LEOPOLDI, & Numinis iras.
Tu mihi; Castalios qui nectare pascit Olores,
Nam tibi notus ager: * cantu si Thespia rura
Augusto resonare doces; spirantia Martem
Classica dulcisono si mitis Apolline frangis;
Aspires, LEOPOLDE: tuo seu munere terget
Sanguineas Europa comas; terrasque reviset
Hospita Pax; Chalybum duris & fœta metallis
Sæcula compositis discent mitescere bellis:
Sive novis Hebrum properas innectere vinclis,
Phrixæosque sinus: (properantia Numina faustum
Fortunate diem:) Cyrrhæ mihi Cæsare toto
Tunc resonet nemus: Hungarici nunc pulvere campi
Sumo animum; & magnis paulatim assurgimus ausis.
Threicios laqueos pacto jam solverat auro
Haslerius: tabes animo sed multa recurrit
Carceris Odrysii: servilis murmura ferri
Nunc etiam feriunt aures; nec libera credit
Dextra sibi. Tamen ille novis clarescere factis,
Et fortis damnum flagrat sarcire sinistræ,
Obscurosque dies: studio sed fervet inani
Martis amor; sterilisque Ducem vindicta lacessit.
Quid faceret? latas nemorum quà projicit umbras
Dacia, solus erat: quid Thracia vincula collo
Excussisse juvat? captivum sylva tenebat.
Lucus erat, latè nexis quem Dædala truncis
Implicuit manus: innumeros ubi semita fallax
In gyros redit; & centum mentita meatus
Illigat incertos cæca vertigine gressus.
Mille patent aditus circum; sed copia fallit
In-

* *Leopoldus Imperator Musis addictissimus.*

Incautos: ſpes tanta nocet: parit ipſa catenas
Libertas: per mille vias via nulla relicta eſt.
Has inter nemorum inſidias, flexuſque viarum
Teutonicum perjura Ducem fortuna tenebat,
Biſtoniique doli. Augurium nam triſte Sacerdos
Urbis Abydenæ, & ſociis fera fata canebat:
Hunc fore, qui validam bellis everteret arcem
Hungaria in magna; quà pinguis in arva Tibiſci
Deſcendunt altæ Dacis de montibus umbræ.
Territus ille Deûm monitis, fatiſque futuris;
Hunc ſervate Ducem; ne vincula ſolvite, Thraces,
Exclamat; fruſtra: mentes, nam fortior, aurum,
Sollicitat Vates, aſſuetaque pectora verſat.
Captivas fera turba manus diſſolvit; &, auro
Nunc potiamur, ait: poſt hæc, eludere Divûm
Auguria, & fortis prævertere tela minantis,
Cura levis. Nemorum non extricabilis error
Quà latet, & longo fallit veſtigia gyro,
Dum læti ad ſocios ſimulant deducere, fortem
Corripuere Ducem: Hungaricas nunc cogitet arces,
Adjiciunt; ſævis nunc prælia miſceat armis;
Inviſi nunc dira canant præſagia Vates.
Ergo ruinoſum per iter, per inhoſpita luſtra
Errat Haislerius; ſeque in cæcas Labyrinthi
Induit ambages; & Thracum vincula mallet.
Ac veluti hoſpitio mitis ſi quando Comacli
Adria dulceſcit; fugiunt ex æquore rauco,
Atque colorati quærunt vivaria piſces
Dulcia; ſed duro cingunt ſe carcere; namque
Mille aditus fallax, nullos habet unda receſſus.
Non aliter laqueis vix dum, Germane, ſolutis,
Sylva doloſa novo miſerum te carcere cingit.

Non

Non ſocii; non ſueta humeris ingentibus arma;
Non clypei grave pondus erat: ferroque vacabat
Nuda manus; niſi fortè trucis veſtigia ferri
Horrebant, qua parte graves hæſere catenæ.
Ergo ubi dura nemus ſinuoſo brachia nexu
Implicat, & nigræ texunt umbracula frondes;
Iliceo acclinis trunco dum fortè recumbit;
Pectoris atque ſui, & ſylvarum comparat umbras;
Mene, ait, egregiis etiam deſiſtere cœptis
Degenerem? Hungaricoque procul langueſcere bello?
Scilicet Odryſio non hæc juravimus hoſti
Danubii ad ripas, & Budæ turribus altis;
Bojarium, Lotharumque inter, totque inclita bello
Pectora, noſtra etiam Faſtis inimica Gelonis
Nomina, cum toties mihi Thracia victa referret.
Hungarico nunc Marte procul, per teſqua, per umbras,
Segnis agor miles, feriſque inglorius annis.
Forſitan & rurſus Tauruni mœnia pulſat
Badenſis; multo campos aut milite complet,
Save, tuos, certo meditatus prælia voto:
Forſitan & ſocium duris me nomine bellis
Sæpe vocat: lateri nunquam divulſus amico,
Quâ ſe cumque ferox ageret, per tela, per hoſtes,
Proxima caſſis eram, memini, & meminiſſe decorũ eſt.
At nunc, laudis iners, lucos, & amica ferarum
Luſtra ſequor: Iaceris Aquilas nec figere muris
Victrices licet, & refugas impellere turmas;
Nobile vel mediâ procumbere funus arenâ.
Felices animæ! Græcæ queis mœnibus Albæ,
Zigheti vel valla ſuper, Budæque ruinis,
Occubuiſſe datum: Tuque oh! fortiſſime Ductor;
Auria; Sithonii nuper mihi dulce levamen

Car-

Carceris; oh! quantis mihi nunc erepte periclis!
Invidiosa mihi tua funera: gloria supplet
Auctiùs, atra tibi quos abstulit Atropos annos:
Sat dives, palmisque tuis, titulisque tuorum,
Umbra jaces, Getico vel sic metuenda Tyranno,
Felix: prædator nam nec te vilis inermem
Projecit Sylvis: gravior nec carcere fœdo
Libertas, nemorum probrosis mancipat umbris.
Finierat dictis. animo sed plurima versat
Dum tacitus, fessos somnus complectitur artus:
Atque solet miseris quæ tollere cura quietem,
Cura dedit misero. Excutiunt tunc rore madentes
Nectareo, roseasque movent insomnia pennas;
Mentis & irriguæ spatiis placidissima ludunt.
Olli nam mediis sese tulit obvius umbris,
Fulgida tela movens, Ductor; nitidoque refulsit
Ore super: Clypeum ingentem velamine tectum
Purpureo attollunt humeri: sed. tristia miris
Ora notis; nec purus honos; vultuque sereno
Nescio quæ tetri vestigia carceris hærent;
Sed tamen ipsa placent: tum sic affatus amicum,
O lux Teutonici, spes ò fidissima, dixit,
Imperii, ò mecum duris exercite rebus,
Hasleri; dum Marte sacro fremit Austria, lentos
Laberis in somnos? animum nec cura remordet
Pulveris Hungarici? Varadini immobile vallum
Te vocat, Austriaci belli mora longa; soloque
Postulat ire tui speciosa ruina lacerti:
Sic placitum Superis. magni sed præscia luctus,
Thracia molitur fraudes; nemorumque recentes
Texuit arte dolos; & publica vota moratur.
Tu modò, si veteres animus cumulare triumphos
Usque

Usque novis; si te Leopoldi gloria tangit,
Et famæ seros amor est impendere canos;
Corripe tutus iter, mediis quà videris umbris
Lucis inassuetæ claros albescere tractus,
Me radio signante viam. Sed pignus amoris
Sume priùs nostri, Clypeum. velata corusco
Tegmine scuta vides: caveas nudare metallum
Fatiferum, residesque lacessere fulguris iras.
Cum te, nam vereor, summo in discrimine rerum
Omnia destituent; præsentemque alea præceps
Poscet opem; faciles dextrâ divellere nodos
Tunc liceat; tunc nuda feros tibi parma per hostes
Fulguret; arcanos Clypei tunc noveris usus.
Nunc age; quòque vocant Superûm te jussa, sequaris.
Jam video indociles Varadinum flectere Turres:
Jam magnum, quod victa mihi dedit Agria, nomen
Antevolas; tantoque juvat me lumine vinci.
Hoc stabili servare tamen tu corde memento;
Auria te nemorum laqueis, & carcere cæco,
Auria te tuus eripuit: nec plura locutus
Scindit se fugiens, purasque recessit in auras.
Perpetuum longo signavit lumine callem;
Scuta sub adverso posuit fatalia trunco.

Ille ubi dulce Ducis nomen defertur ad aures,
Tune etiam falsa me ludis imagine, dixit,
Flos Ligurum? fraudesque doces dum carceris hujus,
Uteris ipse dolis? fortem da prendere dextram,
Amplexuque frui. Sic fatus, ab Ilicis umbra
Erigitur, plenus monstris: tum lucis amicæ
Candida signa sequens, certo moderamine, claustra
Indeprensa priùs relegit, victorque relinquit
Implexum laqueis nemus, & fallacia tecta.

Sed

Sed priùs inclufum radianti vellere Serum
Implicuit Clypeum lævâ; quæ nefcia quantum
Ferret onus;domitã Hungariã, & fata ultima Thracũ
Attollit; gradienfque fuos gerit ipfe triumphos.
Artis opus miræ, denfos adamantinus umbo
Excludit radios; & ahena luce corufcat.
Mille latent fpecies intus, fimulacraque mille:
Sed non admiffas reddunt fpecularia formas;
Quippe nec accipiunt: dictu mirabile monftrum!
Si femel incautis oculis lux ænea fulfit;
Hoftem quifque fuum radiantis in orbe metalli
Cernit: inardefcunt oculis; torvifque minantur
Vultibus invifæ facies; & lumina, lucis
Victa repercuffu, feriunt. Memphiticus ictu
Saucius haud aliter querulo canis ore vagatur,
Niliacas & quærit aquas, ut gurgite puro
Confulat, & medicis fua vulnera tergeat undis:
Infelix! dum quærit opem, namque invenit hoftem:
Optatam effigiem lutulentus denegat amnis:
Sed vafta fe mole ferens Crocodilus amictu
Verficolorato, maculifque intermicat atris:
Ille nigras monftri fauces, hoftemque refugit
Horrentem fquamis, & fordida colla moventem.
Par Clypei fpecies. Fretus munimine tanto
Haslerius focias acies, & caftra petebat.
Auftriadæ interea Varadini celfa coronant
Mænia; partitique vices, & munera belli,
Protinus incumbunt operi; difperfaque latis
Caftra locant campis; & figna minantia figunt.
Nubibus immiftos fortis quà Dacia montes
Molliter acclinat; nigros nemorofaque faltus
Cælat; & Hungaricis manfuefcere difcit aratris,
Pan-

Pannoniæ columen, Varadinum fronte ſuperba
Tollitur; &, geminis ſtatuens confinia Regnis,
Dacica ab Hungaricis diſterminat arva colonis.
Undique inacceſſam ramoſis Chriſius Urbem
Ambit aquis: ſed, Parrhaſiam quà ſurgit ad Arcton,
Stagnat iners campis; &, fœdo ſordida limo,
Unda, ſuperfuſo per girum gurgite, complet
Ingentem foveam, non ullâ mobilis aurâ,
Non criſpata ſinus, non gramine læta virenti.
Ipſa, loci cuſtos, latices mæſtiſſima Nais
Odit degneres; & dedecus exprobrat undis.
Sed fortes, ſtagnante vado, defendere muros,
Major honos lymphis: nitidæ præconia formæ
Affectent fontes alii, tituloſque minores;
Plus pigræ meruiſtis aquæ: ſi ſtringere fluctus
Non audent Zephiri faciles; generoſa Gradivi
Ventilat aura ſinus: ipsâ, quis crederet? undæ
Deſidiâ armatæ pugnant; ipſa otia vincunt;
Atque ſoporatos commendat inertia fluctus.
In medio, ſordente tenax ubi glarea cæno,
Aggeſtu lapidum, & limo concrevit inerti,
Fraxineas regit unda ſudes, valloſque paluſtri
Illuvie impactos: tranſverſæ pinea circum
Septa trabes armant, & procurrentia latè
Tigna chalybs cuneis coaleſcere cogit acutis.
Nexile ſic robur valido munimine cratem
Uſque catenatam ſolidat: caput exerit agger
Roboreum; portentum ingens mirantibus undis.
Parte alia, Lybicos haurit quà Chriſius Auſtros,
Altera, ſed vivo duras Arx edita ſaxo
Oſtentat cautes; nullo quaſſabilis ictu
Attolit frontem, & trepidantibus imperat arvis.

Spu-

Spumeus illapsu fossæ custodibus undis
Chrisius excubias mandat; circumque minaci
Infremit assultu; & dignas maris advocat iras.
Valle sub adversa Cœlo certantia tecta
Explicat Urbs; geminęque Arcis se protegit umbrâ
Hinc, atque hinc; mediisque jacet tutissima campis.
Tuta: sed ignitis saturas quis cladibus ollas
Arceat? aëreamque luem, flammasque latentes
Ære cavo? & pluvios, ignaris nubibus, ignes?
Illisi ad solidum ferrata repagula laxant
Immanes orbes: tum sese incendia vasto
Cum tonitru scindunt; diræque latentia pestis
Semina dissiliunt: non evitabilis ulli
Per medios hostes flexu se flamma volucri
Circinat exultans, & sontes implicat ignes.
Incerto dum turba gradu refugitque, caditque,
Austriadæ subeunt muros: & torrida flammis
Tecta tenent: tunc roborei nutantia claustra
Aggeris irrumpunt: frustra luctantibus undis,
Ignibus ærati vectes, nexusque fatiscunt,
Et mediis flagrat agger aquis. Arx altera bello
Sola superstes erat; lentâ ruitura minatur
Illa morâ: & longos affectat Martis honores.
    Pectore nam Livor LEOPOLDI prospera fata
Dum volvit, claris intabescitque triumphis,
Non segnis versare dolos, pallentibus urnis
Mendaci Othomanos larvatos aëre Reges,
Et fictis mentita Ducum simulacra figuris
Evocat; Hungaricum dura sub casside Martem
Qui coluere diu: muros, Arcemque tueri
Imperat Hungaricam. Jussam se primus in Arcem
Amuratus agit: juvat arva videre, vetustis

Belli clara notis: hìc figere castra solebam:
Hìc, inquit, conferre manus: hìc signa locabat
Hunniades: Ducis invisi sed nomine pallet,
Horret & extinctum: memori sub pectore fœdum
Vivit adhuc vulnus, geminæque injuria cladis.
Se socium Bajazetes fulgentibus armis
Addidit, & notas tumido pede calcat arenas.
Urit adhuc tacito sed conscia pectora morsu,
Obscurus cui clara dedit cognomina Corvus,
Matthias. Gelida surgit Solimanus ab Urna
Ultimus; inscenditque arcem; geminatque superbas,
Dum Carolo caret hoste, minas. Quid inania vota
Moliris demens? immitia Cæsaris ora
O rursùs, Carolumque fugâ visure secundâ.
Succedunt muris, obsessaque mœnia scandunt
Terribiles Umbræ; moles tum robore vasto
Disjiciunt; crebrisque arcent assultibus hostem.
Hinc bellum mora longa trahit; sua cornua Phœbe
Sæpiùs hinc renovat: lentos Europa furores
Increpat; & falsis se conficit ipsa querelis,
Insideat quantus malè conscia mœnibus hostis.
Interea Haslerius longis erroribus actus
Arma ferens aderat; Clypeique insigne gerebat.
Lætos castra sonos edunt; & signa salutant
Acclinata Ducem; dant festa tonitrua plausus.
Nec minùs inflexos, tanto sub teste laborum,
Maturare aditus; propiùsque accedere muris
Certatim flagrant animi: pars ænea longo
Suggestu tormenta locat; pars volvere cautes
Horrentes, foveam vastisque molaribus implet;
Omnes laudis honos, atque æmulus excitat ardor.
Jamque apices murorum ingentes fulmine crebro
Ra-

Rarescunt; jam præcipitem nudata ruinam
Dant latera; & properè vallo succedere suadent.
Turmatim insiliunt: primus per tela, per ignes,
Haslerius ruit; & venturæ splendida laudis
Signa dabat: nunc obstantes impellere vallo;
Alite nunc planta immanes transmittere fossas:
Nunc gladium versare manu; metit obvia cuspis
Armaque, pectoraque; & nulli sine cladibus ictus.
Omnia dum lustrat; seque hostibus arduus infert,
Viderat Otomanûm audaci se fronte ferentes
Illustres Umbras. laudat vultusque, minasque,
Oraque; tum, quis gentis honos? quo sanguine creti?
Littore quo veniant? quærit: secumque volutat
Hæc tacitus: Similes hostes si Thraca tulisset,
Cùm primùm Austriacos populatrix obruit agros,
Budaque nunc stares; nec tu, Canissa, jaceres.
Invenisse pares gaudet; fruiturque periclis
Haslerius; visos generoso fertur in hostes
Impete, compellatque viros, & prælia poscit.
Hinc, atque hinc jussæ per mœnia partibus æquis
Discedunt acies; summi fastigia valli
Tergemini tenuere Duces: tenet ille ruinas
Murorum, & laceros lapidum micat inter acervos.
Talis erat, duram Hesperio cum littore Clavám
Geryonem contrà, formæque tricorporis umbras
Tolleret Alcides. Tantis non hostibus impar
Haslerius, certis dispensat legibus ictus;
Impavidos firmatque gradus: nunc pectora nudat;
Nunc cælat; fictosque metus alternat, & iras;
Inque vices refugit, properat; ceditque, premitque.
Pectora sæpe etiam demittit in obvia ferrum:
Irritus occursu vanæ sed luditur umbræ.

Impetus: & fruftra vitæ fecreta requirit.
Sed pudor exacuit ftimulis, urgetque morantes
Otomanniadas: numero pudet impare longùm
Bella trahi: ergò aciem denfi glomerantur in unam;
Impelluntque Ducem. Dum telis ille recedit
Obrutus; abruptæ præceps immane ruinæ
A tergo patuit: timor undique, & undique lethum
Ante oculos: quo vota ferat? ftat pectore in uno
Fatum Afiæ. partes animum dum verfat in omnes,
Purpureos mentem fubiit diffolvere amictus
Fatalis Clypei: fortis, mora nulla, revelat
Dextera funereum fpeculi jubar. haufit acerbos
Primus Amurates radios: micat ociùs hoftis
Adverfi facies: infeftaque terret imago:
Hunniaden videt, Hunniaden. non ille minaces
Suftinet obtutus: vallo fed victus ab alto
Corruit; immorfoque cadens obmutuit enfe.
Dum præceps ruit ille; trucis te fulgura Parmæ,
Bajazete, petunt: oculos effulminat ægros
Corvinus; fpeculoque ferox infultat aheno:
Excutit arma manu gelidus timor: ille pudendos
Dat faltus; trepidoque rotat veftigia gyro.
Ultimus, infpector cladis, fociifque fuperftes
Edomitis, Solimanus erat: fed profpera poftquam
Æquavit fortuna Duces; concurrere certat
Marte pari Haslerius: valido torquere lacerto
Fatiferum fpeculum pudor eft, & non fua tela.
Sed fortem Clypei properat dum pondere lævam
Solvere; jam Carolum Solimanus viderat hoftem;
Viderat, infremuitque fimul: nam qualis ad Iftrum,
Mœniaque obfeffæ properabat celfa Viennæ;
Talis erat Carolus Clypei fulgente metallo.

Ille

Ille diu nutat; torvo tum lumine figens
Haslerium: laudem non tu certaminis hujus, (lit;
Quisquis es, inquit, habes: Carolus me hoc culmine pel-
Me Carolus ferit, & pœnas post funera poscit.
Hæc ait; & Clypei jubar aversatus, inanes
Dat fremitus fugiens; cæcoque in Tartara lapsu
Præcipitat; domitamque aperit Victoribus Arcem.

FORTUNA
IN ANGLIAM REDUX
In faustissima Inauguratione
JACOBI SECUNDI
Magnæ Britanniæ Regis
Fidei Defensoris.

CARMEN II.

Dictum in Aula Maxima
Collegii Romani.

INVI-

INVICTISSIMO, AC POTENTISSIMO

JACOBO SECUNDO

Magnæ Britanniæ Regi
Fidei Defenſori.

CAROLUS DE AQUINO FELICIT.

EXpectationi, quam de TE maximam feceras, cumulatiſſimè reſpondiſti Invictiſſime

Rex. Testem habes Europam, secunda Populorum admurmuratione, plausuque commotam; nec tam Tibi Regnum gratulantem, quam sibi Regnantem Te. Tot inter testimonia, ad Tuum Regnum, ad victorias Tuas exilientis Orbis, Gregorianam hanc Romani Collegii Palladem recensere non dedignaberis; si hoc Lycæum, quò florentissima ex Europæ Regnis Ingenia confluunt, in arcto adumbrare Orbis imaginem cogitaveris. Tua hìc etiam Regna cognosces; quæ scilicet referunt ornatissimi ex Anglia, Scotia, & Hibernia Juvenes; quibus hoc maximè Sapientiæ Theatrum aperuit Gregorii Decimitertii Anglicæ felicitati studiosissima liberalitas. Sed obstrictior titulus ad qualemcumque obsequentis animi significationem accessit Regale patrocinium, quo Societatis Jesu Patres honorificè habes, benignè complecteris. Puduit enimverò calamo

mo parcere, eum Regem laudaturos, cui labores Familiæ noſtræ omnes, & Sanguinem impendere, in votis habemus. Tu verò, dum Cælo auſpice, quo Regni primordia conſecraſti, Britanniæ Tuæ amores, Europæ plauſus uberrimè promereris; tenue hoc virtutum Tuarum teſtimonium, ab addictiſſimo Tibi Collegio profectum, Regio, quo ſoles, Animo reſpice: & Regni Tui felicitati diutiſſimè conſulas.

Car-

Carminis Argumentum.

IACOBO Secundo Angliæ Regi invictissimo, ab ipsis initi Regni primordiis, festivam gratulationem numeris Epicis adornavimus. Eam post biennium prope tradimus, dum carminis tenuitati à nobilissimo Britannici Regis Legato D. Rogerio Palmerio Comite de Castelmain lucem quærit ambitio obsequiosa. Præcipuè cum eum Principem Roma expectaret, qui titulis, & stirpe prænobilis, splendidiùs etiam Sapientiæ laudibus commendaretur; de facili conjiciente Roma, quantum esse oporteat Regem illum, qui tales mitteret Oratores. Plurimùm verò Fabulæ claritatis intererit, si ad ea, quæ ante biennium gesta sunt per Europam, animum referas; quorum temporum illustriores eventus ad Britanniæ felicitatem conspirasse, hoc Fabulæ commento contendimus. Sacer Angliæ Genius, dum Europæ Provincias, aut debellata Hæresi, aut Thracibus profligatis felices; suam vero Angliam novis semper erroribus, atque infortuniis obnoxiam videt; Fortunam, jam olim ex Britannia profugam, & per alia Regna Religionis commodo adlaborantem, rursus in Angliam revocare constituit. Cum verò illam in Budensi obsidio-

ne,

ne, quæ minùs prosperè cessit, sub Cæsareis signis militare ex Fama novisset; ab ipsis murorum ruinis eripit dimicantem; maturum illi reditum, & certam Urbis expugnationem pollicitus, si priùs Anglicæ Religionis, & fortissimi Regis Administra, Britannicæ sese felicitati impendisset. Curru itaque ab Angliæ Genio excepta Fortuna in Britanniam redux, collatis in Germaniæ Principes, per quorum Regiones ferebatur, beneficiis, iter illustrat. Britanniam demum invecta, cum cohercitis Rebellium furiis, partisque victoriis, JACOBO Regi operam suam probasset, pacato jam Regno, ad Budam jam tutò expugnandam, redit in Hungariam. Admonitum verò te, Lector, pervelim, insertam Fabulæ Fortunam, non profanam illam esse ex promptuario Superstitionis Deam, sed supremi Numinis Mentem, rerum Humanarum commodo advigilantem.

CARMEN.

DAnubium edomitum, Superis & Bella secundis
Ambracio pugnata mari, Lunasque fugaces,
Et raptas, Othomane, tibi oblivifcimur arces.
Cedite Pannonicæ; Lecheæ cedite laurus;

No-

Nescio quid Thracum spoliis, & Leucade victa
Clarius, Arctoo secreta Britannia Cœlo
Explicat. Hungaricas generosa lacessere palmas
Non trepidat; laurosque negat meruisse secundas.
Celsa Caledonios motare cacumina lucos
Vidimus: ut Regi solium immortale Britanno
Sylva paret, celeres petit ambitiosa secures
Sponte sua, tantosque juvat decrescere in usus.
Ecce triumphali Tamesis festivior unda
Occurrit pelago, clarique exordia Regni
Oceano narrare parat. perge, impiger amnis,
Atque tuis pelagum regnatum Classibus imple
Sorte nova: feriat jactantior Æquoris æstus
Sidera; consumatque omnes in gaudia ripas.
Fortia te pelago vulgantem facta Britanni
Principis, Occiduo glacialis ab æquore Tethis
Audiat, atque suum minùs admiretur Achillem.
Tu modò (Romuleas nam non averteris arces,
Et te jam dudum Regum inter prisca tuorum
Nomina, cumque suis Eduardis Roma recenset)
Tu modò (pacato postquam Discordia Regno
Cesserit; æternisque gemet captiva catenis,
Cumque suo Tamesis repetet commercia Tibri)
Tu modò (sic Superi populorum vota secundent)
Ne cunctare Palæstinos differre triumphos.
Invicto subigi Ptolemais lenta Richardo,
Jam dociles flecti tibi deprimit obvia turres:
Utque suo chlamydem satures de murice, clamat
Serva Tyrus; poscitque tuis radiare lacertis.
Te Dominum mollis pharetrati potor Orontis;
Te Solyme, & toto suspirat cernua ponto
Cyprus; Idumeæ metuant tua nomina matres
O

O utinam! diſcantque novos pallere Richardos.
Sed trepidam non ante Aſiam tentare memento,
Quàm tibi perpetuos laqueata Rebellio frænos
Mordeat; Arctois Erebi contagia terris
Diſcute. nequidquam minima de nocte ſuperbit,
Sponte animis longam tua ſi ſubit Anglia noctem.
Redde diem Patriæ: redeant, Te Principe, ſæcla
Fœcunda Heroum, & veteri cognata metallo;
Primaque ſit Cœlo, quæ terris ultima Thule eſt.
    Tu quoque, qui gemini primus poſt nubila ſæcli,
Irradias Cœlum, ſidus Boreale, Latinum,
Palmeri, faveas. Aliis eſt Roma theatrum
Nóbile; Tu Romæ: quid claro in ſanguine poſſit
Pectoris invicti virtus interrita, diſcit;
Quantum ſit magnis columen ſapientia Regnis,
Nulla docent exempla magis. Quæ pectora duris
Opponat fatis Tameſis Regnator, ovantem
Fama per Europam vulgat; ſed Roma Britannum
Metitur meliùs tanto de Sydere Solem.
    Aliger, æthereos qui formoſiſſimus unus
Inter erat Cæli Proceres, cui tradita curæ
Plus quam tergeminis fœcunda Britannia Regnis,
Viderat innumeris pro Relligione triumphis
Fervere anhelantem Europam; ſua gaudia magno
Cum vix illa ſinu caperet. Si proxima latè
Littora Sequanico luſtrat regnata Tonanti,
Aſſultu Ligeris non ampliùs unda profano
Polluit Oceanum; fractis micat eruta clauſtris
Relligio, & nulla regnat Calvinus in ara.
    Non procul hinc auro ſaturas ſi proſpicit arces,
Ardua Pyrene juga quà famulantia curvat
Heſperio Regnatori; pietaſque, fideſque
Re-

Regna colunt: Erebi nullis afflata venenis
Unda Tagi, campos ditat flavente procella,
Et Ponto licet illa fluat purissima, Cælo
Purior unda fluit: nam quæ temeraria tantùm
Cocyto nubes prognata, lacessere Solem
Audeat Austriacum? fortunatissime Regum,
Hæc laudis mensura tuæ: Cocytia monstra,
Tartara quæ ructant populorum in funera, Reges
Expellunt alii; sed non agnoscit Iberus:
Plus hoc, quàm gemino frænos imponere Mundo,
Et Regnis æquare diem. Quid prælia pubis
Teutonicæ, & sacro memorem fervere Gradîvo
Pannoniam? Quid Sarmatici Ductoris ad iras,
Riphæas tepuisse nives? frontisque minorem
Caucason? & calidos invito Aquilone Triones?
Postremò Adriaci regnatrix Virgo profundi,
Innumeros gracili ligno complexa triumphos,
Tethios Ægeæ, Fortuna remige, fluctus
Verberat, & magnis expandit carbasa fatis.
Hellespontiaco quantus de littore plausit
Neptunus, cum vesani vestigia Xersis
Deleret majore jugo? cum pontus habenas
Dedignatus Achæmenias, & Persica claustra,
Classe sub Adriaca nemorum se sponte natantum
Induit in laqueos! placidum non murmurat æquor;
Aut tantùm ut laudet sua vincula, murmurat æquor.
Ignifer hæc Regni Genius, custosque Britanni
Viderat, erubuitque simul; pudibundaque torquens
Lumina, demisit vultus, potuitque videri
Tristior invidiâ, mens ebria Numine viso
Si posset livore capi. dein læta rependit
Europæ dum fata, suis contraria fatis;

Læ.

Læter, ait, doleamne geri felicia Bella,
Europamque novo ſemper ſoboleſcere fœtu
Laurorum in ſegetes, & luxuriare perenni
Vere triumphorum, ſi vulnera noſtra retracto,
In dubio eſt: cœlo nova quòd ſuccreſcat Idume
Palmarum Hungariæ campis, lætamur, & omni
Plaudimus Oceano. Pudor eſt ſed plaudere tantùm,
Et ſterilem Spectatorem tantæ addere pompæ.
Cum nullus Geticos non fulminet enſis in hoſtes,
Angligenas ceſſare pudet: quo ſydere lævo
Tot claros inter vacat Anglia ſola triumphos?
Anglia, ſi memini, non ſueta vacare .riumphis.
Tantalidæ Regnis, & Achæis gratulor oris,
Claſſe ſuper Veneta queis navigat aurea dextro
Caſtore libertas: Tibris Bellator, & Arnus,
Et Melite Ionium coeat populata profundum,
Laudo equidem; at ſocias in prælia jungere pinus
Anglica cur ceſſant Navalia? non ita Cypri
Littore me geſſi; Syrias cum Phœbus in undas
Ire Caledonii nemoris vix credidit umbras.
Non queror immiti naturæ carcere claudi
Monſtrifero mea Regna mari; non Arctica plauſtra
Æternis annum horrentem fœdare pruinis.
Creſcat bruma rigens; monſtris laſciviat unda
Fertilis, & gelidos inclinet Parrhaſis axes.
Exul in Orbe jaces, vaſtoque Britannia terris
Diſſociata mari; ſciſſi divortia Mundi
Solari tamen hoc poteras, horrente ſub Arcto,
Quòd propiùs Cælum, quamvis glaciale, tuenti,
Fit terræ jactura levis: nunc dira propago,
Ft ramoſa lues ſcelerum te dividit ipſis,
Queis propiùs natura frui conceſſerat, aſtris.

Heu

Heu frustra terris commercia nostra negamus,
Si Cocytus habet; tutis si crimina velis
Littora nostra petunt, portusque in damna patentes;
Et multa Tamesis Phlegetontis merce superbit.
Quamvis nec pulsæ me Relligionis avitæ
Urit amor; tacitis cultor quam plurimus aris
Ingenuo fovet obsequio, & regalibus ultro
Tu quoque nobilitas titulis, Eboracius Heros:
Relligio, hunc bene si numeres, latissima pandi
Pectore in invicto disces tibi Regna: Britannis
Omnibus imperitat, tantam quæ possidet Arcem.
Nam veluti trepidantem urbem cum Barbarus hostis
Irrupit ferro victor; si milite fido
Arx Domino servatur adhuc invicta priori,
Hic regit Imperio populos; illi omnia parent:
Pectoris haud aliter magni si fortia servat
Munimenta Fides; cunctis dat jura Britannis.
Scilicet ipsa etiam non vastæ immania terræ
Jugera Relligio numerat; sed computat Arces.
Addite tot madidas Heroum sanguine palmas,
Qui brevis exilii mercati sydera jactu,
Luce nova Cælo micuerunt Astra Britanno,
Sponte Arcto cedente locum; sed nuda quid ausit
Relligio, nostris pridem quam transfuga regnis
Deseruit Fortuna? nimis Dea lubrica, longamque
Indocilis servare fidem, mea regna reliquit,
Dilectasque domos, ex quo execrabilis Annæ
Incestas tædas, thalamumque sequuta nefastum
Perfidia incubuit Regno, & dotalis Avernus.
Illa plagis fugitiva meis, si vera fatetur
Fama recens, nunc sanguineis horrentia Bellis
Pannoniæ colit arua; stipendia scilicet ambit
Au-

Auſtriaci Dea tanta Jovis: non Anglia cordi,
Non Tameſis. nudâ ſed me ſævire querelâ
Quid juvat, & ſterili infortunia paſcere luctu?
Quidve moror? totis fugitivam quærere terris
Mens avet, atque Iſtro ad Tameſim revocare relicto.
Scilicet exilii penſabit fœnore multo
Illa moras, vetereſque redux geminabit amores.
Forte Lares veteres, dilectaque regna tuentem
Pœniteat longos procul hinc erraſſe per annos.
Hæc fatus multo ſaturam Titane quadrigam
Inſcendit; citat auricomos ad fræna jugales;
Hauſta putes curſu patrimonia lucis in uno.
Invadit Zephyros, ſeſeque per alta carinat
Atria. jam retro flavis habitata Sicambris
Æquora detumuere; procul jam Gallica Regna
Caligant, dulcique comas umbratus Iaccho
Fluctuat à tergo Rhenus: jam cominus Iſter
Per clypeos, galeaſque fluit, ſeſeque retardat,
Mæandro ſimilis; rapidum pernicibus undis
Si laudare potes, potes & laudare morantem
Fluctibus armatis. demum, quæ meta viarum
Sola fuit, bellatricis ſuper aſtitit arces
Pannoniæ. auriferas tellus ditiſſima venas
Intus habet, Martis ſed ferrea deſuper illam
Torquet hyems, omnique probat natura metallo.
Audacis Rheni tum cærula forte Juventus
Indomitas Budæ turres quaſſabat aheno
Turbine, & anguſta trepidam obſidione premebat.
Fervet opus: pars iliceas deducere crates,
Brachiaque annoſi nemoris, viridemque ſenectam
Cæmentis durat, ſolidoque impervia limo
Sepimenta parat. tectarum ambage viarum

Errat inoffenſus miles, valloque reducto
Tuta odia exercent acies, Martemque latentem.
Aggere pars ſciſſo, patulæque crepidine foſſæ
Cominus æratis cuneis, ferroque trabali
Infernum ſibi pandit iter; cæcoſque meatus
Sulphuris attriti denſis obſtipat acervis,
Atque profanatis diſponit funera glebis.
Parte alia admotas, ferratis edita plauſtris,
Expectant tormenta faces; ſtant ore minaci
Cannæ ferales, & ahena tonitrua poſcunt.
Vallibus interea, campiſque patentibus hoſtem
Veſtigat populator eques; nocteſque, dieſque
Inſequitur velox, ac cedere neſcius inſtat:
Et ne pacatas acies ſopor ipſe videret,
Aut clypeis celerem ſomnum, aut nutantibus haſtis
Commendant; ipſamque docent pugnare quietem.
Hic, nova Bellatrix, vultus Fortuna ſerenos
Marte novo turbatque ſimul, ſimul ampliùs ornat,
Aſperitate ſua mitis, formoſaque forma
Degenerante. tuis nimirum gloria caſtris,
Cæſar, viſa levis, cenſu numerare ſuperbo
Egregios Heroas, & inclyta nomina bello,
Bojarium, Lotharum, Badenſem, Saxona; pugnas
Ipſa ſequens Fortuna comes, nova fœdera jungit,
Et tua divino tentoria protegit Oſtro.
Enſem fatiferum, & multo de Gange rigentem
Dextra rotat; gladio mortem quis nolit ab illo?
Ambitio fuerit pugnanti cedere; tantæ
Funus & eſſe Deæ. picto micat aurea tergo
Cuſtos telorum, & niveos laſciva lacertos
Obnubit; multæque humeris fulgentibus umbræ.
Per medias acies gladio gemmante ſuperbas

Lar-

Largitur clades, ſpecioſaque funera donat,
Divinâ mortalem hoſtem dignatur & irâ.
Illa volat tormenta ſuper, ſi in fulmina Belli
Ferrea deficiat grando, ſupplere parata
Orbe ſuo: excuſſis nunquam laſſata ſagittis,
Nunc ſocios dictis acuit, nunc fulminat hoſtes;
Danubio natat in magno; pennataque fluctus
Radit, & armatas volat irrequieta per undas.
Dux Lotharûm, dextræ potuit Fortuna videri
Æmula facta tuæ; te ſpicula docta movente,
Tela movet; parere tuis Dea legibus exlex
Diſcit, & à tanto non degenerare Magiſtro.
Sed licet æratæ non ceſſent grandinis imbres,
Et vallum ingenti murorum clade pateſcat;
Pectora ſuccedunt muris, & mœnia ſupplent.
Teutonicus miles longo ſua gaudia voto
Conſumit, lentaſque movet victoria pennas,
Fortuna damnante moras; magni irrita voti
Infremuit nimirum; odit ſeſe ipſa morantem,
Et Sorti adverſam cunctatur credere Sortem.
Cui ſervet Dea cœca fidem? ſi mobilis obſtat
Ipſa ſibi, & Fortunam etiam Fortuna relinquit?
Illam odiis fruſtra ſpumantem, & torva frementem
Viderat Angligenûm Genius; curruque ſuperſtat.
Ac veluti in prædam præceps Jovis armiger ales,
Aggreditur pavidam roſtro luctante columbam,
Non ſecus ille, Deæ, præceps rutilante quadriga,
Involat in crines; nodoque coercet eburna
Undantes à fronte comas; ſiſtenſque fugacem
Orbe ſuper rapido: Studio quid perdis inani
Nuda odia, o ſedes iterum viſura Britannas,
Arctoumque diem? dixit. quò transfuga tendis?

Tantane te Regni cœpere oblivia nostri?
Quò jurata fides? nostras dum deseris oras,
Atque olim dilecta tibi mea littora, honores
Fastidis mutata tuos, tua munera damnas,
Et te felicem. Hungaricis teris otia campis
Irrita; Teutonico Budam nunc Marte revelli
Astra negant; fortesque vetant procumbere muros.
Quin age, Hyperboreisque redux intenta triumphis,
Expecta, clarum Hungariæ dum fata laborent
Maturare diem. Arctois concede trophæis
Unam hyemem; pacato Aquilone, ad cœpta redibis
Fortia, ne dubita: cum primùm tertia messis
Canuerit; titulisque gravis felicibus annus
Certabit sæclis non impar omnibus unus,
Laurigerosque sinus pandet; melioribus astris,
Danubii tunc castra petes; Budâque receptâ,
Hebrus, & extremâ pallescet Bosphorus undâ.
Nunc te Relligio sociam, Pietasque revisat
Anglica; in antiquos famæ revirescere Fastos,
Auspice te, discat tellus Tamesina; nec illam
Parrhasii posthac verset gravis orbita plaustri,
Orbe suo Fortuna rotet: tot cladibus hausta
Anglia respiret; satis heu te novimus hostem;
Da, læta nunc Sorte frui: si quæris amori,
Quem reditura modum statuas; imitare furores
In mea Regna tuos, & te, Fortuna, sinistram.
Vix ea fatus erat; summi cum jussa capessit
Numinis, & currus Fortuna inscendit amicos.
Pannonici sudum per inane it nobile belli
Depositum; tergo grave Numinis incrementum
Sensit Atlas, pulchri risere & conscia furti
Sydera. Sed rutilis quamvis invecta quadrigis;
Atria

Atria Junonis liquidæ, & ſua ſidera calcet;
Sæpius illa ſuam, ſciſſo velamine, Budam
Reſpicit: horrentes prolapſæ turris acervos,
Semirutaſque habitare arces, muroſque patentes
Mallet, & Hungaricâ Cælum mutare ruinâ.
Ardua non aliter ſublimis cornua Taurus,
Quem dudum Paſtor ludicri ad prælia Martis
Deſtinat, ereptâque jubet mugire Juvencâ,
Mœſtus abit campo; gemmantia gramine prata,
Luxuriem & ſegetum lactentem, dente ſuperbo
Impaſtus refugit; lunata fronte requirit
Heu fruſtra! à tergo ſociam, teneroque boatu
Sollicitat; ſi non, longùm expectata, remugit,
Perſtat adhuc; putat obſtantes non reddere rupes
Mugitus, longæ damnat divortia vallis:
Spe macer ipſe ſua eſt, & adhuc ſe credit amari.
Fortunâ caſtris ereptâ, ſquallida languent
Teutonici vexilla Ducis; minùs aura laborat
Intextas inflare Aquilas; per prata minores
Umbræ quadrupedum, nec longus in æquore pulvis.
Abrupti pendent apices, criſtæque minantes
Vallorum, laceris & hiantia carbaſa caſtris.
Probroſis Lotharas acies ne ſcinde querelis
Europa; obſeſſa quòd miles ab arce recedat,
Thracia ne nimiùm tibi plauſeris: inclyta magnis
Non animis virtus, non defuit enſibus ardor
Vindelicis: aliquo erratum ſi crimine, credas
Crimina Fortunæ; fatis ſi cedere dici
Culpa poteſt; ſi culpa, rapi, potuitque vocari.
Tantæ Buda Deæ nimiùm ne fide receſſu;
Diſtulit illa tuam; non eſt oblita ruinam;
Scilicet Arctois Germana ad Caſtra redibit

Clarior exuviis; tua fata Britannicus Orbis
Maturat, totaque tibi præluditur Arcto.
Interea Austriacas curru superadstitit arces
Diva redux. Bellum, non immemor illa Gradivi,
Dum nequit exercere, parit; nam fœta favillis
Lumina terrificis, pugnacis semina flammæ
Eminus ejaculant, & glebas Marte maritant.
Classica ceu fuerint oculi, Mavortia tellus
Germinat armatas acies, rutilantia surgunt
Scuta virûm, & sævis prognatæ obtutibus hastæ. *
Talis Agenorides, postquam, nova semina, sulcis
Vipereos fidit dentes; pubescere ferro
Edocuit Cererem, & placidas pugnare novales;
Vulnificam segetem cum messor inhorruit, & cum
Se gleba in galeas, ignaro Marte, resolvit.
Bojariæ jam jamque arces, & Norica latè
Regna patent: vultu risit Fortuna sereno
Bojarium dignata Ducem; tædisque secundat
Virginis Austriacæ; * niveis quam pronuba pennis
Gloria maturat thalamo. in connubia tanta
Non humiles ex igne faces Lucina, sed ipsum
Accendit Solem: spes excubat ampla triumphorum
Ante fores: spoliis tentoria texta coruscant
Barbaricis; fractæque thorum struxere pharetræ;
Et, Tartessiacum lauris umbrantibus aurum,
Panditur augusto Victoria Conopeo.
Desidis illecebræ parcus, non marcida luxu
Otia, nec Tyrio somnos admittit in ostro.

Clas-

* *Armorum delectus ubique tunc habiti per Germaniam, bello Turcico profligando.*

* *Per id tempus Maximilianus Bavariæ Dux Leopoldi Cæsaris Filiam Uxorem duxit.*

Claſſica dent procul horriſonos ſi rauca fragores,
Hectora in Odryſium nimirum ſurget Achilles
Noricus, & thalamis ſpirabit bella relictis:
Pluſquam mille Duces te Sponſum Thracia pallet.
Lucinæ tanto ſi flagrant lumine tædæ,
Rumpe tuas, Bellona, faces. horrentia gignunt
Caſtra Duces alios, & fœdæ ſanguine valles;
Sed tibi vel thalami pariunt, Germania, Martes.
Interea famulis quadriga ſupervolat Euris
Vitiferos colles, & amico jugera Rheno
Culta, Palatinus clara Septemvir in aula
Murice quà Tyrio malè fulgurat; ilicet illum
Jampridem cœca errorum ſub nocte tenebat
Calvini labes. olli nunc proxima torvo
Funera præſagit vultu Fortuna. * ſoluta
Crinales Hydros, tanto fremit Hæreſis ictu
Arctari ſua Regna, ſuos rareſcere Faſces,
Et magni decus Arbitrii: ſed acerbiùs urit
Inſanam, vacuas Neoburgum implere Curules.
Tanti eſt nimirum cum Cælo, & Cæſare fœdus
Jungere. Mutato ſub Regnatore triumphat
Rhenus, & ad pelagum Neoburgicus ire ſuperbit.
Ecce autem nemoroſa procul patet Anglia, vaſto
Fuſa mari; Aligeri geminant pennata jugales
Remigia, & metæ feſtinat conſcius axis.
Verùm, heu, quæ Regni facies! quibus inſula fatis
Jactatur! ducit Furias in bella ſequaces
Perfidia, Arctois Fortunam avertere regnis
Tartareo jurata Jovi. jam nubilus æther

* *Per idem tempus diem obiit Comes Palatinus Rheni Hæreticus; qui Succeſſores habuit Duces Neoburgicos Catholicos.*

Nigrescit : caliganti nox advena Solem
Torva satellitio fugat ; exitiabile mugit
Aura minax, & sola diem per fulmina noscas,
Quæ fremitu horribili terras, per vulnera cæli,
Degeneri ambitione petunt. Saturata metallis
Ignitis chalybum truculento viscera nimbo
Orcades ejaculant, & plusquam imitantur Avernum:
Ceu levis ira foret cæcâ sævire favillâ,
Vulcanum ferro durant : succussa profundo
Anglia nutabat pelago; Symplegada credas
Oceano fluitare ; sinus fremit inde Britannus,
Hinc Batavum littus, medius decrescit aquarum
Æstus, & abruptæ sperant commercia ripæ ;
Horrendum! si quid posset Fortuna timere.
Terribilem Regni vultum stupet illa ; negatque
Se veterem Tamesim, Rutupinaque noscere Regna:
Ductorem Genium tenero, ceu prodita, questu
Anxia sollicitat : quod nos inamabile tantùm
Littus habet? nigri sedes hæc pallida Ditis ;
Noster ubi Tamesis? felix ubi cultus amici
Littoris? emersit nova suspicor Anglia ponto ;
Nam veterem nec nosco redux, nec noscor ab illa.
Haud aliter Turtur, cui desidis otia trunci,
Et longas in fronde moras jam fervida mater
Exprobrat, & segnem crepitantibus increpat alis;
Ille quidem teneris liquidi Jovis ardua pennis
Audax Regna secat; sed postquam tramite longo
Lassavit querulo peregrinum gutture littus;
Si vetus hospitium, & viridis cunabula trunci
Serus ab exilio repetit, non ampliùs illum
Altrices norunt auræ, non, frondea nutrix,
Fraxinus agnoscit reducem; gemit ille maligna
Fron-

Fronde ſuper; queruloque nemus clamore fatigans,
Arboris ingratæ nequidquam crinibus errat
Avius, & notos heu fruſtra interrogat agros.
At placidum Fortuna plagis illapſa Britannis
Imperat ire diem; redeunt in clauſtra procellæ,
Cognatique cadunt imbres. Sed pallida luctu
Regia funereo reſonat: nova funera Regis *
Lugubris Aula gemit. curſu quò triſtis iniquo
Exundas, ignave dolor? dediſcite fletus
Lumina, vel celeres in gaudia vertite curſus.
Grande rudimentum Regno mors iſta futuræ
Sortis erit. Cælo Carolus plaudente receptus
Extorſit nigris Erebi luctantis ab ulnis
Grandem animam; inſpecti pretioſus transfuga Ditis,
Eumenidum excubias, & Averni caſtra fefellit:
Splendida proditio! claram cui cedere laudem
Ipſa fides, proprioſque velit ſubmittere Faſces.
Teutonici Proceres ſceptri, Boreæque nivalis
Illuſtres animæ, quas compede ſtringit iniqua
Hæreſis, his laqueis malè dignas, funere ab iſto
Diſcite ſeditioſum animum; & ſic eſſe Rebelles.
Regia progenies Carolo non ulla ſuperſtes:
Solus, Hyperborei hæreret cui machina Mundi,
Frater erat; ſolio dudum quem maſcula virtus,
Quem Pietas, nulliſque Fides temerata procellis
Educat: invictum, & nullis ſuperabile fatis
Pectus tergemino cuſtos Conſtantia vallo,
Indomitoque adamante tegit. documenta revulſa
Argilius cervice dedit, cui pectora multo
Nequidquam Cromuele tument; hauſtuſque medullis
Sæ-

* *Caroli, qui Catholicam fidem moriens amplexus eſt.*

Sæviit Henricus fruſtra. perjura Momutus
Agmina, Parrhaſii faſtigia ſcandere Regni
Juratus, glomerat. furiis incenſus iniquis,
Aut Regnum,aut magnam quęrit per crimina famam:
Sed voto Fortuna Ducem fraudavit utroque;
Amne tegit muto nunc Lethe obſcura, minarum
Artificem illaudatum; & nigrum morte ſecunda.
Audax ò nimium; nec longùm impunè rebellis;
Egregium at faſtis Nomen venture Britannis,
Si tales animos meliora ad caſtra tuliſſes.
Quò præceps, impar tanto congreſſus Achilli,
Quò ruis infelix? peditumque, equitumque catervas
Nonne vides? quæ luſtra fugax, quæ devia curſu
Antra petis? tandem, audaciſſimus ille, timere
Diſcis, & abruptum lutulentæ vallis hiatum,
Pectoris hoſpitium maleſani ignobile, quæris.
Horrentes caveis latebras, cœcaſque paludes
Nequidquam Marius petis Anglicus: ipſa nocentem
Te prodit, nunquam ſceleri ſatis abdita, tellus.
Ne querere infidum hoſpitium, foveaſque doloſas
Vallis inacceſſæ; contactu forſitan illa
Perfida facta tuo eſt; meruit ſi perfida dici
Et Regno, & proprio vallis fidiſſima Regi.
Incaſſum tenebras, & cœca umbracula quæris:
Plebejo caput exiliet de ceſpite, ſceptro
Et fruſtra deſponſa manus; ne quære latebras:
Ardua poſcebas? Votis en blanda malignè,
Reſpondet Fortuna tuis; ſublime theatrum
Te manet, & tragicus, Libitinæ pegmata, clivus,
Vindictæ ſolium atratum: ſi nobilis armis
Meta tuis nuper fuerat Victoria; vincis:
Quæris quos ſuperes, morti jam proximus, hoſtes?
Pro-

Proſternunt Regni cunctos tua fata Rebelles.
Ne ſtupeas, Regno ſi debellata moratur
Cedere, nec Stygios petit exarmata receſſus
Seditio; Regis claris defigere palmis
Cogitur invitos oculos; felicia ſigna
Fortunæ reducis ſpectare, novoſque triumphos.
Sævior hic Erebus miſeræ; minùs ignea torquent
Tartara. Se primùm domitam videatque, gematque:
Spectatrix cladeſque ſuas, ſua vulnera primùm
Ingemat: infrendat rabie, dum celſa tuetur
Signa remigrantis Fidei; perſtrictaque tanto
Lumine, tum demum ſeſe demittat in Orcum;
Solvat & Arctoas longa caligine terras.
Nam quid Seditio Stygiis lymphata venenis
Audeat in Regem, armato cui ſydere Cœlum
Miles adeſt, ultro regalia caſtra ſecutus?
Omnibus ille armis pro Cœlo pugnat; Olympus
Omnibus invicto quo Principe militat aſtris.
Quæ rupes, vel quæ pulchri non conſcia Martis
Littora? fœta armis tellus tot ferre laborat
Bellatorum acies, Regni quas armat in hoſtes
Ira, Fides, Pietas, ſtimuloque potentior omni
Regis Amor. litui nomen regale minaces
Si geminant, audit Tameſis famulantibus undis,
Et conjuratæ reſonant ad claſſica valles.
Quid memorem, invicta, quà panditur æquore vaſto,
Claſſe tegi Oceanum? domito quid carbaſa ponto,
Non placidis Zephyrorum animis, ſed turgida ſolùm
Servitii ambitione ſui? famulata rudentum
Gloria per nexus ludit, niveoſque lacertos
Admovet ad remos; nec fulvo inſculpta metallo;
Ut reliquas, ſed vera regit Victoria puppes.

Quam-

Quamvis te pelago, Princeps, & classe potentem
Edocuit lacrymata suas Hollandia clades;
Exuviis Batavûm cum decolor Anglica Doris;
Sanguineque, & laceris stipata cadaverum acervis
Ramosum in pelagus vetuit prorumpere Rhenum.
Aggeritis frustra miseris tutamina terris,
O Batavi, abiegnas nemorali strage ruinas,
Et super impositas per hiantia littora cautes.
Rupibus aggestis, scopulisque immanibus Alpes
Addite, & Emathios, Titania spicula, montes;
Oceano struitis, non Marti fræna Britanno:
Scilicet irrumpet lapidosi obstacula valli,
Fortior Oceano, Dux Anglicus; aggere firmo,
Si potes, hunc Batavis averte, Hollandia, terris;
Et formidatum liceat contemnere pontum.
Salve, Parrhasio, Princeps, lux addita Cœlo,
Occidui columen Regni, patriæque labantis
Fulcimentum ingens. radiis tua vota secundis
Fortunent Superi faciles: decorasse Britannos
Te Fasces, satis haud unquam sibi sydera plaudant;
Orcum pœniteat nunquam satis. aspera Martis
Atque utinam, curasque graves tibi Regia proles
Exhilaret, teneris quam tu reptare lacertis
Scuta per, & galeas videas, & cara petentem
Oscula ferrata Patris de casside laudes.
Si nectit Lucina moras; multùm illa laborat
Scilicet invicto similem properare Parenti;
Desperat nam ferre parem. sed lætior auro
Scripta dies aderit. Sortis nunc ipse futuræ
Præscius, ut lætâ cunabula fronde corones,
Debita Phœbeos nectam tibi munera ramos.
Interea lacerat, Regi famulata Britanno,
Ipsa

Ipſa ſuam Fortuna rotam; ſoliumque ſuperbum
Concinnat; rutilos auro flammante pyropos
Addit, & egregias inſculptum Elephanta figuras.
Namque illic longo Tameſinos ordine Reges
Diva opifex doctis juſſit ſpirare metallis;
Villelmum, occiduo Regnum qui quærere Mundo
Per vaſtas non horret aquas; in bella feroces
Henricos, ſuperis Eduardos arcibus auctos,
Et formidatos trepido Jordane Richardos;
Illuſtres animas, & claris fulgida Faſtis
Nomina; ſed tantùm magno ceſſura Nepoti.
Ipſa etiam ſolium, divinæ ſemina Mentis,
Virtutum decorant ſimulacra nitentia, quotquot
Invictum inſedere animum, infuſique capacem
Ætheris, & ſaturam cognato ſydere mentem.
Ante pedes, pretioſa patet quà ſemita Regi
Auguſtum ad ſolium, arguto tremebunda metallo
Seditio jacet: horribili de fronte retorti
Erumpunt angues, ipſoque minantur in auro:
Luce nigra livent oculi, quibus effluit atras
Lubricus in lacrymas cruor; excuſatque monile
Flexilis è collo Dipſas, quæ pectora torvo
Efferat illapſu. fœdos laqueata lacertos
Seditio meritas non dedignatur habenas:
Mitius ingenium poterat didiciſſe videri;
Ni colubros imitata ſuos, ſe dente ſuperbo
Immitis peteret. Tameſini ſcilicet olim
Illa lues Regni, & ſtygio gravis igne Cometes,
Auſus fatifero caudæ fulgore Britannum
Inceſtare diem, Cæloque inſcribere clades
Luce venenata: tua, Rex, modò fulgura paſſus,
Jam toto cedit conterritus axe, tuamque

Pal-

Pallet ad Auroram, & Solem periturus adorat.
Rex auro ſaturum, & doctis illuſtre figuris
Fortunæ famulantis opus miratur, & auget
Egregium, dum laudat, opus. Mox ille jacentis
Dorſum immane Feræ, invictiſque trementia plantis
Colla premens, ſolio ſeſe gemmante recepit,
Atque omnes implevit Avos. Tunc ore ſereno
Regales affuſa pedes Fortuna, cruentum
Sanguine Biſtonio gladium denudat, ab Iſtro
Aera per magnum quem duxit; &, Accipe, dixit,
Egregium monumentum, & noſtri pignus amoris,
Fortunæ gladium, Princeps: hoc vindice, ſiquid
Impacatus adhuc Tameſis torrente rebelli
Audeat, abſolves victor. tu bella petentem
Me rurſum, & Martem Hungaricum ne deſere; fortem
Enſe tuo, o utinam me Pannonis ora reviſat.
Dixit, & invictum generoſi Principis enſem
Splendida dona tulit. Celeres ſe tollit in auras
Extemplo; Budamque petens, jam certa triumphi,
Arctoi gladium vibrans per inania Regis,
Pannonicas Fortuna redux remeabat ad oras.

GENETHLIACON

WALLIÆ PRINCIPI

JACOBI SECUNDI

Magnæ Britanniæ Regis Filio.

Dictum in Aula Maxima
Collegii Romani.

Ab Illustrissimis, & Excellentissimis Dominis

D. INNOCENTIO, D. CAMILLO
ET D. HIERONYMO PAMPHILIIS.

CARMEN III.

Illu-

Illuſtriſſimo, & Excellentiſſimo Domino

D. LIVIO ODESCALCO

CERÆ DUCI

INNOCENTII XI. PONT. MAX.

FRATRIS FILIO

*Innocentius, Camillus, Hieronymus
Pamphilii felicitatem.*

EXORTUS nuper Magnæ Britanniæ Regnis, Orbique Chriſtiano optatiſſimus Wal-

liæ Princeps, si ullam Europæ Civitatem, Romam vel maximè liquidissima voluptate perfudit, EXCELLENTISSIME PRINCEPS. Faustissimum Reipublicæ Catholicæ Partum, præcipuo quodam animi ardore complecti debuit ipsius Regia Religionis. Præsertim cum illum INNOCENTIUS XI. Patruus Tuus, ut enixis diu precibus, votisque à supremo Numine expetiit; ita felicibus, ut semper, lacrymis impetrasse jure credatur. Cum verò auspiciis tantæ felicitatis erecta Urbs in plausus passim effunderetur; Romanum Societatis JESU Collegium publicæ gratulationis in partem venire, grati erga JACOBUM II. Angliæ Regem, ejus Ordinis amantissimum, animi, & sui erga tantum Pontificem esse duxit obsequii. Ex omni numero Adolescentium, qui honestis artibus in eodem Collegio instituuntur, nobis potissimùm demandatum est munus, ut Regium Infantem Epico Car-

mine ſalutaremus; ut, ſiqua in Angliæ Regem ex Familia noſtra obſervantis animi ſtudia extitere, recenti hoc in Regiam Prolem obſequio confirmarentur. Hanc publici muneris celebritatem Tuo maximè nomine condecoramus. Licet autem ex Parentis noſtri, & Patrui Cardinalis imperio hæc Tibi Muſarum munera deferamus: fatemur tamen, nihil nobis hac utriuſque voluntate, aut glorioſius, aut jucundius accidere potuiſſe. Quid enim ætatulæ huic noſtræ ſpecioſius, quàm ut Tuo potiſſimùm nomine inſcribamus primos hoſce exercitationis literariæ, atque inſtitutionis noſtræ liberalis, honeſtæque floſculos; ſcilicet, ut, ſuccreſcentibus ex intervallo ingenii viribus, iter muniamus audaciæ ſplendidiori, qua ipſius aliquando Patrui Pontificis referre liceat laudes, virtutes extollere; ejuſdemque munificentiſſimæ erga Familiam noſtram liberalitati gratiſſimum animum

pro-

profiteri? Tuarum hic Virtutum decora attexere nobis in promptu esset; nisi laudum præconia, ut amplissimè promereris, ita minùs æquis auribus, hoc ipso laudandus, admitteres. Quamvis nec infans hæc nostra, rudisque eloquentia pro dignitate prosequi possit illibatam illam morum integritatem, studium pietatis, animique moderationem, & facilitatem Tui. Quibus Virtutum præsidiis commendatus, quanta cum laude in intima sapientiæ adyta inrulisti universo fermè comitatu artium pulcherrimarum excultum ingenium; quo Te sublimi, capacique præditum, instructumque hæc ipsa olim Romani Collegii Pallas Gregoriana suspexit? Liceret saltem nobis impensa illa humanitatis officia subjicere, quibus nos, Familiamque nostram universam Tibi in dies tam arctè devincis. Sed veremur, ne magnitudini Indolis Tuæ non minùs accidat onerosum, beneficia sibi com-

memorari, quàm laudes. Certè Orbi Terrarum, Romæque præſertim gratulari nobis, boniſq; omnibus liceat felicitatem ſuam; quæ, ut INNOCENTII XI. Patrui Tui fauſtiſſimo Terris Imperio nihil habet ad gloriam clarius; ita morum Tuorum, vitæque laudatiſſimæ exemplis nihil habet ad admirationem præſentius.

Car.

Carminis Argumentum.

CUM Rebelles Hæretici, qui adversùs JACOBUM II. Magnæ Britanniæ Regem iniquissimè conspiraverant, justissimis demum suppliciis, aut armis felicibus concidissent; Seditio ex eorum cineribus Magicum Simulacrum confecit, ut Regis virilem Sobolem prohiberet. Quo persistente Simulacro, cum Aula Britannica Catholico Successore destitueretur, Magnæ Britanniæ Regina, (hoc autem procul ab omni commento, uti narratur, effectum est) ut Deiparæ Virginis beneficio optatamSobolem impetraret, ad ejusdem Ædem Lauretanam Simulacrum Infantis è solido auro deferendam curavit. Ubi primùm ad Matris Divinæ Aram emicuit Votiva Infantis aurei Effigies, continuò in Anglia comminutum est Magicum alterum Simulacrum. Mox, Regia suscepta Sobole, Britannia, & Orbis Christianus immortali gaudio cumulantur.

CARMEN.

EXere Parrhasio lætam de Littore frontem,
Arctoi Regina maris. Datur ora tueri
Principis Angligenûm; flores affundere Cunis,
Et cantu signare diem. Mavortia tela,
Dura seges Chalybum, Martis truculenta supellex,
Parcite nube gravi campos terrere Britannos:
Non opus est jaculis, ubi blandæ gratia frontis
Absolvit bellum: cunctis felicius armis,
Vagitu Patriam tutatur Regius Infans.
Anglia, in his Cunis pharetras, Classesque, Ducesque,
Hìc Arces, hìc arma vides, hìc agmina mille,
Et vallum Arctoi non expugnabile Regni.
Solve laboratum duris thoraca metallis,
Et galeam implacidam, læta in cunabula dulci
Amplexu, ruiture Parens: en lumina tollit
Parvulus, & Patrem, sublata fronte, requirit.
Sed mitem primùm videat; Genitore fruatur,
Ignoretque Ducem. Quòd si bella aspera cordi,
Et pectus Clypeo properas meliore tueri;
Natum stringe tuum: non ulla incude Pyracmon,
Ætna parem Clypeum nulla fornace parabit.
Cuspide si torva armatum, fortissime Regum,
Te metuunt hostes; plus iste timetur inermis:
Longus it hic Populis timor; exarmatque Rebelles
Si Pater; à Puero spes vincitur ipsa nocendi;
Præsentes hostes Genitor; domat iste futuros.
Sed tu, blande Puer; quamvis Ripheius axis
Inclinet famulatrices tibi cernuus Arctos:
Quamvis magnanimi laudes insculpta Parentis,
Gra-

Grajugenûm titulos & dedignata minores,
Dulcè canant placido labentia sydera motu,
Vagitus imitata tuos; ne despice, nostris
Partem aliquam modulis blandæ debere quietis.
Fronde triumphali, & multâ tua clarus Idume
Prætexit Genitor Cunabula; mascula blandis
Unde quies oculis, & nox depasta triumphis.
Sed quamvis palmis juvet acclinare Paternis
Molle latus; Cunis furtivam serpere laurum
Annue, Pieridum quam sedula cura Sororum
Nectare Castalio, non fœdo sanguine pascit.
Has ego pollicitus, memini, Puer inclyte, frõdes;*
Cum mihi tergeminis Regnorum insignibus auctus,
Materies, Genitor; Budæ cum mœnibus altis
Rapta mihi, oblitum Tamesim Fortuna revisit. *
Postquam, Erebi victor, dubitatum presserat Axẽ
Carolus, & medio non expectatus Olympo,
Vulgavit pulchræ decus immortale rapinæ;
Frater Hyperborei tenuit fastigia Regni;
Si Regnum tenuit, curarum splendidus Hæres.
Bella Caledoniæ rupes, horrentia bella
Infidis Tamesis vomit insidiator arenis.
Oebalio Reges alii de muricis ostro,
Aut auro insternunt solium, & Gangetide Gaza;
E duro solium dat Regibus Anglia ferro.
Surgit, Hyperborei Dominatrix clara Profundi,
Insula dives opum, vasto circumflua Ponto,
Anglia: terribili circum stridore sonantis
Latrat hyems Pelagi: hic solùm statuisse sonantem
Fluctivagi sedem Imperii, glaucique tridentis

D 4 Nep-

* *Vide pag.* 44. * *Vide pag.* 35.

Neptunum credas, olli cum ſpumea ſceptra
Undarum, & Regni ceſſit fortuna ſecundi.
Tergemino ſociæ coeant ne fœdere Terræ,
Sciſſa vetat luctante freto glacialis Hiberne,
Mole minor; major ſtudio pietatis avitæ.
Scotia Parrhaſium propiùs ſed vergit ad axem,
Montanis ululata lupis, nemoroſaque latè
Saltibus horrificis: micat armis læta Juventus,
Et Patriæ ſcopulos animis ſublimibus æquat.
Proxima quà Scotos latè procurrit in agros
Anglia; perpetuo ductus munimine Murus, *
Romani victoris opus, confinia Regni
Firmat, & infeſtæ prohibet commercia Gentis.
Ergo truces, Hadriane, jugo ſubmittere Pictos,
Gloria viſa levis? Majori corrigis ipſam
Robore Naturam, caſtigatâque triumphas.
Quis dubitet Terræ portentum dicere Romam;
Talia ſi niſu inſano furioſa Poteſtas
Audet, & extremo perdit miracula Mundo?
Tuta ſitu tellus, nec pervia viribus ullis
Jactat inacceſſos apices, genteſque repoſtas
Tentari Natura vetat: tamen hoſte carere
Quid juvat externo miſeram? ſi ſævior hoſtis
Ipſa ſibi, Stygio jacet illaqueata veterno;
Et Regi perjura ſuo, Cœloque rebellis
Jampridem, nullo miteſcit inhoſpita cultu:
Pullulat in fœdos, errorum Lerna, Colubros.
Sed licèt innumero circumdatus hoſte, triumphat
Rex Britonum, virtute magis præcinctus ahena;
Et

* *Hadrianus Imperator Muri prægrandis perpetuo maximoque aggere Scotos ab Anglis diviſit.*

Et causâ melior, non impar viribus, armis
Emicat, invictæ madidus ſudoribus haſtæ.
Agmina nec deſunt; pulchro deſcendit Olympus,
Supplementum ingens, conſcriptaque ſydera bello.
Perjuræ valles peditumque, equitumque minaces
Ut metuunt umbras! ut lentas increpat auras
Claſſis, & abrumpi remorantia vincula poſcit,
Certa ſequi, quocumque minax Aſtræa carinas,
Ultriceſque vocant iræ. Jam pinea clades
It nemorum Pelago; credas innare revulſas
Orcadas, & totos conſumere Carbaſa ventos.
Inſonuere tubæ; reddunt Tritones ab alto
Cæruleis cantum lituis; & bella ſequuti
Non ſua, quod poſſunt, conchas, ſua tela, recudunt
In Clypeos, pictiſque ſecant vada fervida caudis.
Seditio infelix, ne clauſtra latentia vaſto
Quære Mari: poſcis ſi littora fida, nocentem
Te fuge: nequidquam, tua te ſi crimina produnt,
Mutatis erras fugitiva receſſibus; ipſum
Nam fugiſſe, nefas; à tergo impunè ſequentes
Extimulas peccante fuga, non effugis hoſtes;
Nulla mari tibi prona via eſt; petis irrita terras,
Marte truci ſętas quas noſti; ſola pateſcunt
Sydera; terrarum ſed non paſſura rebelles.
Sed licet Arctoi Regis Terraque, Marique
Excubias peragant curæ; tamen ille timendus,
Sed non tutus erat: fauſtis licèt annuat armis;
Non eadem fortuna thoro eſt; nullaque ſuperſtes
Parte ſui, infidæ ſerpentia murmura plebis
Cogitat, & longâ metitur ſæcula curâ.
Aggere ferrato telorum, & Marte ſecundo
Septa licet, tamen eſt Regi malè firmà poteſtas,

Si

Si vacuus regit Imperium; Populique rebelles
Non metuunt in Rege Patrem. si lumine nullo
Exhilarant tædæ thalamos, fulgente metallo
Agmina nequidquam niteant. Lucina tuetur,
Invicta Bellona manu quæ regna paravit.
Ac veluti noctem cum fulminat Ælia Turris
Turbine festivo flammarum, & læta coruscat
Ignaro cum Roma die; licèt imbre sagittarum
Intonet impulsus facibus crepitantibus æther,
Sulphureasque vomat fornax peritura favillas;
Roma tamen placidas, tectis sublimior, iras
Despicit, & mites plaudit sævire furores:
Densæ humeris matres oculis sinuosa sequuntur
Spicula, nec teneris trepidant ostendere natis.
At, celsas, si fortè faces impune volantes
Corripuere domos; si fędo Mulciber audax
Illapsu, sacras latè depascitur ædes;
Perque vias, per Templa trucis fœtura favillæ
Se geminat; miseræ oderunt sua gaudia Gentes;
Et quæ flamma jocus fuerat; fœcunda, ruina est.
Non aliter vacua Princeps qui regnat in aula;
Cui neque cognatos liceat Regionibus ullis
Quærere, de patria veniant qui stirpe, Nepotes;
Ærato quamvis communiat aggere Regnum;
Nōn hostes norunt, non plebs perjura timere;
Canitiem viduam, thalamosque obiectat inanes
Scilicet, & tacitis accersit funera votis.
At Regis, Patrisque simul si nomina jungas,
Hoc metuunt hostes: plusquam vigilantibus hastis,
Natorum teneris incumbunt Regna lacertis.
Spem sobolis Regi magico medicata susurro,
Turpe nefas! Simulacra vetant; nam sidere lævo,
Sen-

Senſit ubi armatas furiata Rebellio fraudes
In proprium rediiſſe caput; cum Regia contra
Agmina nequidquam nudas conſumeret iras;
Infremuit: bello indecori ſi, judice cęlo,
Pugnatum; Cineres peregrino Marte ciere
Eſt animus; nigris & figere Caſtra ſepulchris.
Triſte Chaos pro Marte placet; Libitina tueri
Si valeat miſeram, poſtquam Bellona reliquit.
Nec mora fit: Regno, placuit quo vita, negato,
Projicit illa diem. Miſeri convicia lucis
Odere; & votum eſt, poſt Regnum, perdere ſolem.
Invadit tumulos; magni jam lumina pandunt
Spem ſceleris; vultuque dolos inſcripta futuros,
Exangues animas, & pallida Regna ſilentum
Infeſtat gravis Umbra. acceſſu læſa profano
Immugit tellus; atque ipſa ſilentia fervent.
Illa, nigrum per iter, ſuper atra cadavera fœdos
Molitur greſſus; tumuliſque recepta, rebelles
Scrutatur galeas, & adhuc ſpirantia clades
Buſta virûm, quotquot perjuri ſigna Gradivi
Morte luunt, gelidiſque jacent grave pondus arenis.
Extremo & quamvis rigeant à frigore; Regem
A tergo credas vel ſic horrere ſequentem.
Manes infidi Procerum, exuviæque rebelles
Agnovere Deam: ſi gaudia noſcere poſſet,
Regia tunc fletus poterat riſiſſe videri.
Exiliunt urnis cineres; pudet oſſa rapaces
Expectare manus; patulis egeſta ſepulchris
Sponte capi voluere. Rigenti quantus ab urna
Proſilit Argilius! cineres, Momuthe, minaces
Agnoſco, & veteris vivacia ſemina flammæ.
Perfida perjuros laudat Dea: jamque capaces
Im-

Implevere ſinus cineres; per colla, per artus
Feſtinant; Martemque petunt tentare ſecundum.
Qualis Ariſtæus, poſt fati præpetis iras,
Erravit vitrea cinis irrequietus in urna,
Cum refluis celeres horas numeraret arenis,
Nec junctus fido, ſed nec divulſus amico;
Infidi haud aliter Cineres poſt funera pugnant;
Hos odium rapit è tumulis; amor abſtulit illos.
Gratulor Angligenûm terris, cæloque Britanno,
Quòd non ſole palam, ſceleris nec teſtibus Aſtris,
Prodiit exitiale nefas: nox conſcia fraudis
Sola fuit: ſcelus hoc homines tentaſſe, ſuperſtes
Fama neget: duris ſi crimina nata ſepulchris;
Saxa luant pœnas, ſcelerataque marmora damnet.
Hoſpitium ſceleris, ferratum Diva lebetem
Exuviis onerat pallentibus; oſſaque nervis
Nuda ſuis, tenues coſtas, rigidoſque lacertos
Colligit, & nigro mixtos immittit aheno.
Horreſcit truculenta ſtrues: truculentior ipſa
Sordida congeſtis delibat gaudia calvis,
Squallentique manu, tractat quæ funera, vincit.
Illa etiam ſuccos, & adhuc ignota Novercis
Gramina Theſſalicis, Centaureoſque liquores
Aggerat, & nigras Stygio de vere Cicutas.
Culmine ab Æmonio, & Libyæ ſquallentis arenis
Meſſuit irarum florem. non effera tantum
Colchis Iaſoniam, Scythicis armata venenis,
Sæviit in ſobolem: poſſet quoque mitis haberi,
Quæ juſſit Xanto reduces ululare carinas.
Toxica ſed vincunt oculi, queis funera mille,
Mille jacit peſtes, medicamina dira tuendo
Aſperat; & nocuis cedunt aconita favillis.

San-

Sanguine vipereo, & rabidi ſudoribus hydri
Frangit opus durum, humani nec parca cruoris,
Purpuream irrorat ſaniem: trepidantiaque oſſa
Eliquat, admotiſque jubet rareſcere flammis.
In tepidas jam buſta fluunt reſoluta pruinas;
Utque magis noceant, mirum!, molleſcere diſcunt.
Fervet iniqua lues; bullis agitata tumeſcunt
Crimina, & audaci ſpumant ſalientia fumo.
Admovet illa manus ſceleri, nigriſque lacertis
Funeream ſubigit maſſam, cogitque fovendo;
Interdum & lacrimis, pugnet ſi dura, reſolvit.
Degener ò nimium gemitus; dum crimina dira
Debueras doluiſſe, facis. quæ criminis expers
Pars noſtri? ſordes quæ deleat unda profanas,
Si (pudor!) ipſi etiam norunt ſua crimina fletus;
Et, medicina mali, diſcunt peccare dolores?
Imperium Artificis compages cerea flecti
Expectat; turpem humanæ ſub imagine formæ
Surgit in Effigiem; riget inteſtabile Signum;
Fronte minax, oculis torvum, ferale capillis;
Authorem, quid plura?, ſuum referebat Imago.
Illa operi plaudit; laudat vultumque, manuſque;
Sæva magis, meliora putat. mox triſtis Averni
Auſpiciis, Magicique potens modulamine cantus,
In lævum converſa, truci ſic incipit ore.
Vivimus invitis aſtris, & ſole negato.
Sed vixiſſe parum eſt; tenebris pugnamus ab iſtis,
Et benè magnanimis reparamus damna ſepulchris.
Hactenus inviſum, fateor, vulgaria in hoſtem
Torſimus armá; parumque pudet, pudet eſſe nocentes.
Si Regis fruſtra Solium tentavimus armis;
Nunc thalamos bello petimus: non arma, Duceſque;
Pu-

Pugnabunt Cineres. viduâ dominabitur aulâ,
Sic placidum fatis, donec sub nocte silenti,
Vindictæ spes una meæ, durabit Imago.
Classe triumphali tumidus nunc ille subacto
Sæviat Oceano; teneant victricia terras
Agmina; non illi clades, non funera posco;
Vivat, &, ut Sobolis desperet munera, vincat.
Finierat dictis. non eluctabile diræ
Pondus habent fraudes; & vocem fata sequuntur.
Sic Cineres, urnâ, gelidaque in morte calentes
Divisere odia: in Regem, dum vita manebat,
Exarsere; petunt graviùs post Funera Patrem;
Non olim Regi, sed nec nocitura Parenti.
Quidquid luce palam, & Cœlo spectante rebellis
Peccavit rabies, juvat indulgere; protervo
Parcimus ingenio; satis est, si perfida castra
Anglica devoveat tellus: sed carcere nigro,
Sæva profanatis quæ gesserit ira sepulchris,
Ignoret Tamesis; feros nec fama Nepotes
Edoceat; patriis scelus immoriatur in urnis,
Et Populi nescire velint: oblivia plectant,
Plectere quæ vigiles desperant crimina pœnæ.
Tartaream Effigiem, licet atra nocte sepultam,
Alma Fides refugit; niveæ velamine pallæ
Obducitque oculos; procul & vestigia vertens
Acceptos olim Populos, dilectaque Regna
Deserit, & tota Cœli regione recedit.
Interea viduos Dominatrix Anglica soles
Continuat lacrymis; & amat pro prole dolorem.
Non illam insanum vulgus, non fama morantis
Solicitat thalami; quamvis Europa Britannos
Ante thoros fremat, & cessantes increpet annos.
Nu-

Nutantem cum prole Fidem, & reditura veretur
Tartara, post clades graviùs nocitura receptas.
Ergo novas animum versat Regina per artes,
Et nova bella ciet; victis extorqueat astris
Si Sobolem: flecti si fletibus astra repugnant,
Nunc blandas movet insidias; donisque morantes
Aggreditur Superos; Superos quoque munera vincunt;
Nec tenuem flagrare facem, perituraque spernit
Lumina, cui totus rutilat fax aurea Phœbus.
Olli præsidium, & rebus solamen in arctis,
Cælicolûm Regina potens, enixa Tonantem
Virgo, Jessææ stirpis generosa propago.
Destinat huic Puerum, cæli stellantis Alumnum,
Ex auro solidum. Liceat, Regina, fateri;
Hæc pietas suspecta mihi est: nova munera Divæ
Largiris, Puerum; similem si reddere forsan
Annuat illa tibi; produnt tua dona, quod optas.
Ingenium laudo; cupidi sunt fœnora cordis,
Quæ tu dona vocas; doni sub imagine, lucri
Spes latet; ista decent magnos sed fœnora Reges.
E proprio tibi pulchra facis præsagia dono;
Vera putes; sperare docent tua munera prolem:
Non est effœtæ, Pueros donare, Parentis.
Ergo operi insudant magno; vigilesque laborant
Artificum curæ: fornax opulenta metallo
Jam liquido furit, & pretiosas surgit in iras.
Cernitis ut lapsu horribili, fornace reclusa,
Aureus erumpit torrens? jam fusilis implet
Gaza sinus; longos penetrabilis unda meatus
Occupat, & solido Effigies durescit in auro.
Quantus in ore decor! nitidi quæ gratia vultus!
Ut petit impatiens Divæ ad sacraria sisti
Par-

Parvulus; & sacras effulgere poscit ad aras!
Adria Picenas ubi mitior alluit oras,
Oenotrias inter fortunatissima terras,
Tollitur Urbs, angusta loco; sed nobile nomen
Innuba dat Laurus; felix cognomine gaudet,
Quo bene Virgineos testatur terra triumphos,
Atque suos. Has Diva plagas, hæc littora Virgo,
Posthabito Jordane, colit; venerabile tectum,
Aereum per iter postquam, Sidone relicta,
Ætherei his demum campis statuistis Amores.
Ne mirere domum, Cœlo plaudente, volantem:
Ignotas peragrare vias ex Hospite discit
Illa suo; terrasque domum mutare licebit;
Patria si Dominus mutavit sidera terris.
It Cœlo cyclas lapidosa; tholique minantis
Celsus honos; illum longa de rupe viator
Pendulus ostendit sociis; placet hausta beatis
Prima oculis pietas; per saxa morantia anhelos
Accelerant gressus; nec fervida vota coercent.
Munera quid memorem, & gazam prædivitis Aulæ,
Æternumque diem? liquida seu Pallade pascit
Immortale jubar; vigili funalia flamma
Sive bibunt saturas Hybleo nectare ceras.
Candida Virgineos mores imitata, superbas
Miratur sedes maris unda; pigetque reverti.
Ipsa salutiferos medicata Potentia fluctus,
Ocyùs ut sacræ cernat miracula pompæ,
Extimulat latices, irata morantibus undis:
Mox liquido rores argento, urnamque salubrem
Versat adoratis, votivo munere, saxis.
Anglica Regnatrix Pueri simulacra nitentis
His adytis rutilare jubet; donisque superbis

Re-

Reginam Regina colit. Jamque ordine longo
Pompa subit; festis resonat concentibus æther;
Dulcisonasque lyras, & garrula plectra secutæ
Conspirant auræ in numerum; stupet ipse canorem
Aliger ex auro, & cœli modulamina credit.
Verùm ubi Virginei nitidum penetrale recessus
Attigit, & Divæ sacras radiavit ad aras
Parvulus; horresco referens; tremit Anglica Tellus,
Et fremitu horribili, jacuit quæ nocte profunda
Insidiosa lues scelerum, & fatalis Imago,
Scindit se fugiens, & in auras purgat apertas.
Effigiem fugat Effigies, & diffita pugnant
Alternis Simulacra odiis; jam nulla supersunt
Criminis insani, & magici vestigia cantus.
Infans non aliter Pharias ubi Numen ad oras
Constitit, Herodem fugiens; tremuere profanis
Templa Deis habitata: ruit Latrator Anubis
Ex adytis præceps: non audit vota precantum
Isis, & Inachium Nilus lacrimatus Osirim,
Barbara nequidquam muto vocat agmina sistro.
At opifex sceleris malefaustum devovet ausum
Perfidia; insanam cæcis furiata cavernis
Eructat rabiem; superas mox tendit ad auras,
Quà scopuli turritus apex luctantibus undis
Dat latus, & medios fastigia jactat in Euros.
Illa apicem inscendit; vasto dein pondere præceps
Subjectas oppressit aquas: gemuere ruente
Turbine Nereides; fundo Neptunus in imo
Delituit, pavidæque procul fugere carinæ.
Pande triumphales, ò felix Anglia, Cunas:
Ipsa manu nivea Regalem devehit astris
Alma Fides Puerum; en tenero fremit aula tumultu

Nobilis, & propriæ cunctatur credere ſorti.
Nunc, quibus auſpiciis patriis deſcenderis aſtris,
O puer!, & cœlo præſagia ſcripta ſereno,
Expediam. Non te lacero civilis Enyo
Fœda ſinu legit, & ſontes immurmurat iras.
Non teneros blando potant è lumine fletus
Horrentes galeæ: reſonis nec torva metallis
Europa, immiti ſtrepit ad cunabula cantu,
Et ſuadet miſeram per claſſica ſola quietem.
Europam Pax alma tenet; vultuſque ſerenos
Explicat, & magnos hilarat Concordia Reges.
Sola triumphali ſuccumbit Thracia bello.
Jam non captivo Jordanes gurgite ſegnem
Increpat Europam. teneros quid concutis artus,
Parvule? quid niveis diſſolvis vincula palmis?
Vagituque refers lituos? Jordane minatur
Audito; teneroque fremit ſub pectore Cyprus,
Cyprus Avis regnata ſuis. Ingentibus Infans
Macte animis; veniet bello tibi firmior ætas;
Tunc iræ placeant; Patris nunc lude lacertis,
Molliaque immiti prolude per oſcula Marti.
Proh quantus clari Genitoris tollitur ulnis!
Suſtinet imbellem Patris ſi dextra, viciſſim
Suſtinet ille Patrem: Pueri veſtigia firmat
Si Genitor; Patris ſceptrum firmatur ab illo:
Et Genitor Puero, Puer & Genitore ſuperbit.
Mille Parens teneris dum dividit oſcula membris,
Vive diù felix, & noſtro munere, dicit,
Parvule, cerne diem. Repetit, ſuperatque Parentis
Verba Puer, blandis Genitorem affatus ocellis;
Vive diù felix, & noſtro munere regna.
Cernis ut undanti micuit, Puer inclyte, plauſu
Ad

Ad Cunas Europa tuas? ſed Rhenus, & Albis,
Sequanaque, & modica jam parte Othomanicus Iſter,
Italiæ cedant. longo non fervida vota
Illa mari jacit: evulſis fremit excita terris; *
Plaudat & ut præſens Pueri ad cunabula, motis
Urget iter feſtina jugis, & corpore toto
Ardet adoratis ſeſe proſternere Cunis.
Pulchra ſed heù tragica ſpes intercœpta ruina eſt;
Non animus pulchros auſus, natura reliquit.
Procumbunt magnæ terris fluitantibus Urbes;
Immugitque rebelle ſolum; tibi plaudit aperto
Itala terra ſinu: extremis dum brachia terris
Tendere feſtinat, Cunas viſura ſuperbas.
Clades ipſa ſuas, ſua cernit funera; felix
Clade ſed illa ſuâ; tibi dum ſua funera plaudunt.
    Sed circum Auſoniæ vaſto cum murmure Terræ
Hinc, illinc fremerent: Latiam Innocentius Urbem
Formidare vetat: tantus quam ſuſtinet Atlas,
Scilicet Urbs nullâ poterat nutare ruinâ:
Romam ſtare jubet, Scythicum qui concutit Orbem.
    Ille etiam Arctoum Cœli cunctantis ab ulnis
Extorſit Puerum; invictis dum ſydera flectit
Fletibus; & gemitu cauſam dicente perorat.
Atque utinam (Superi hoc etiam indulgete) Parentis
Tranſeat in mores Proles ſic Regia; Patrem
Exprimit ut Latium qui ſanguine proximus illi,
Sed propior virtute nitet; * cui dives opimæ
Fortunæ cenſus, titulorum & ſplendidus ordo,

* *Ingenti Terræ motu Urbes Italicæ concuſſæ, quo tempore natus eſt Infans Regius in Anglia.*

* *D. Livius Odeſcalcus Innocentii XI. Pon. Max. fratris Filius.*

Eſt Patruus, propria & Patruum virtute fateri.
Anglica non aliter Soboles à Patre Triumphos,
Immotamque Fidem teneris, precor, hauriat annis.
Sic Tameſis Tyberim referet, ſic Anglia Romam;
Et mores jungent, quos dividit invida Tellus.

GE-

GENETHLIACON JOSEPHO AUSTRIACO LEOPOLDI CÆSARIS FILIO

CARMEN IV.

SParge manu lauros, & palmis ingere Cunas
Auſtriaco, Fortuna, Jovi. Germania, magnæ
Pignorà fortis habes. hæc nunquam tarda, morando
Profuit; utque animos hauſtu meliore bearet,
Lenta fuit. novit cui ſerviat illa; ſuperbo
Et tumet obſequio; clavo quam fata perenni
Cæſareo famulam ſolio fixere. decorem
Germinis Auguſti ſerò connixa probavit
Arbor. in oblongos tractus nox diſſita magnos
Sudat in Alcides. felix Europa, querelis
Parce piis. Superis en germen amabile tellus
Excipit; excelſaque premi lætatur ab umbra.
Tuque adſis, quem civiles vis dura per æſtus,
Occupat invitum, Leopolde. minacia pila
Si quando Europæ jugulo divellere cures,
Inque Palęſtinas Mavors Tibi naviget oras,
Imperium molli deprædaturus Oronti;
Tunc (properate diem Superi) mihi maximus armis
Majori Cæſar tollendus in æthera cantu.
Sed nunc Regali ſatis eſt jucunda referre
Auſpicia in Partu. diſcat de germine truncum
Orbis; & egregia noſcat de prole Parentem.

Eſt Regio, Mauras ubi fervida ſiſtit ad undas,
Africa; monſtriferos malè temperat unda calores.
Ipſe tot Oceanus ſedandis æſtibus impar,
Correptura pavet proprios incendia fluctus.
Cautibus abruptis hìc formidata minatur
In Cœlum rupes; mediumque excurrit in æquor,
Cærula lunatis findens ſtridentia ſaxis.
Non læti nemorum faſtus, intonſaque veſtit
Luxuries virides humeros; non murmura rivis,
Non volucrum pictis ſaliens exercitus alis
Dat dulces modulos: tetrum ſed nunciat omen
Noctis avis, triſteſque ciet ſtrix improba cantus.
Pervia non ulli, ſteriles hìc inter arenas,
Regia Livoris, cæco ſubducta receſſu,
Præjacet. exeſi ſilices, corroſaque ſqualent
Atria; pallentem illuviem feralia tecta,
Illuviem referunt poſtes, conclave, lacunar;
Ut Dominum, totas macies corruperat ædes.
Ipſe diem refugit; luctu damnataque ſervans
Tecta, venenatos per corpora colligit angues.
Illaqueant trepidos ſpiris ingentibus artus
Gorgoneæ peſtes, Lybiæ truculenta propago,
Ammodites, Cytale, Cenchris, virideſque Chelydri;
Copora quique ſiti perimit ſtellatus Orhites,
Quique gravat Myagrus lethali lumina ſomno;
Amphiſibena biceps, fera Dipſas, Acontias, Aſpis,
Corpora per, latoſque humeros, nexoſque lacertos
Flexibus obliquis errant; & tabida morſu
Membra petunt. petit ipſe ſuos crudelior artus,
Qualibet & ſævit rabioſior aſpide, Livor.
Invitis oculis chryſtallus lucida monſtrat
Muricis Oebalii veſtes, ſellaſque curules,

Sce-

Sceptraque, patriciasque togas, jucundaque, lauros,
Præmia Victorum; Virtutis castra secutis
Et quos dispensat prægnanti Copia cornu
Fascesque, & multo elatas Lictore secures.
Carpitur occulti rabie, stimulisque veneni
Ille tot inter opes; intabescitque tuendo.
Scilicet ægrescit lætis: nocet ipsa, facitque
Prosperitas miserum. ducit sua damna, quod ulli
Dulce putat; nulli demens non invidet; inter
Et nisi tot pœnas infelicissimus esset;
Ipse sibi invideat. sed dum felicia fata
Cogitat Austriacæ gentis; furit ille, doletque
Altiùs; & tectos sic evomit ore furores.
O faciles semper nimiùm, stirpique paratos
Humanæ dare læta Deos! authore Tonante,
Si crescit mortalis honos, o Juppiter, astra
Nequidquam quereris tumidos sperare Gigantes.
Armis firma tuis pugnat gens impia; vires
Quas facis ipse, times. frustra tibi dextera multâ
Fumat Trinacriâ; si, prono ad munera Cœlo,
Indomito Phlægræa phalanx umbone superbit.
Indulsisse, ruina fuit. lex unica Regum est,
Muneribus sit parca manus; sit prodiga pœnis.
Ecce, pudor! genus Austriacum, quo sospite, nunquam
Sospes ero; trans mortalis confinia vulgi
Lucis inops Fortuna vehit: proh Numina Regno
Semper iniqua meo! quò gens invisa laboras
Extendisse manus, Orbemque arctare triumphis?
En Tagus, Hesperios thalamo fulgente per agros
Dum fluit, auriferis tua nomina scribit arenis.
Te Mosa, te supplex Ister, Rhenusque bicornis,
Te colit Heliadum lacrymis gemmantibus ingens

Eridanus: lætis tibi Vefvius ignibus; Æthnæ
Plaudit & ira tibi. Fafces tu porrigis ultra
Europamque, Afiamque. auri tot fœta metallis
Non Baccho tellus, non Hercule cognita, foli
Nota tibi, Solique fuit. quin Regna corufcum
Per tua carpit iter, tua prælegit omnia Titan,
Quas regis imperio terras & circuit; Orbis
Auftriacus tanto ne fpectatore careret.
Sanguinis invifi fed non fe gloria tollet
Tanta diu. primis Auguftæ germina prolis
Elidam, poterit fi quidquam Livor, ab annis.
Illudet pofthac Cunis Lucina, recenti
Cæfareos non paffa thoros fobolefcere partu.
Infeftum ab radice genus ftat perdere. juro
Perfephones thalamos, & nigri fceptra Tyranni.
Hæc ait. exerto plaufcrunt gutture, & omnes
Promittunt iras intorti crinibus angues.
Ille, Dolo properante artes, & Fraude magiftra,
Vipereum frontis tegmen, pictamque colubris
Deponit tergo chlamydem; fulcataque fletu
Ora manu tergit: macies non arida vultus,
Illuvies tetros nec prima exafperat artus.
Pæftano de rore genas, & cerea fingi
Ora rigat fimulans. ficto Dea protinus ore,
Inceffuque nitet. Mentito nomine prodit
Vindicis Aftrææ: Themis eft, qualifque videri
Illa oculis, & quanta folet; cui læva fevero
Judicio ancipitis fufpendit pondera Libræ;
Dextera detractum vaginâ concutit enfem.
Hac fpecie Zephyrûm pennis, & nube curuli
Vecta fuper, liquidæ Junonis Regna fecabat.
Sidereæ rifere faces, & confcius Atlas.

Sic

Sic tamen ille nocet. diris afflatibus auræ
Subſidunt; fonteſque metu, ſilvæque recedunt.
Jamque propinquabat, Themidos ſub imagine, Livor
Æratos celer ad poſtes; ubi, lege Deorum,
Longævas labor urget anus, quas, parcere nulli
Cum norint, plebes vocitat tamen inſcia Parcas.
Lanificis Lacheſis comitata Sororibus artus
Tegmine velabat niveo; celerique trahebat
Pendula fila manu, tenues æquantia fila
Humanæ fines, ſpatiumque volubile vitæ.
Atque ea dum teretem rapida vertigine fuſum
Devolvit; ſtringitque leves in licia lanas:
Ecce, repercuſſi radiat dum luce metalli,
Adventuque Deæ, falſiſque micantibus armis,
Regia caligans, & non lacrymabile tectum
Speravere diem. Dea protinus axe coruſco
Labitur, atque operi gladio mandante quietem;
O genus implacidum, lacrymis ò ferrea, dixit,
Pectora, prona meis tantùm ſed juſſibus, atras
Aſtræa moderante colos. en lapſa ſereni
Adſum parte poli, Regnantis nuncia Fati.
Cernite, ut Auſtriaci generis ſe gloria magno
Attollat niſu; claris ut ſueta triumphis
Pullulet in ſegetem palmarum? nunc malè vaſta
Metitur ſe mole ferox; nimiùmque ſecundis,
Terrarum pelagique potens, graſſatur habenis.
Vos modò, quas penes, anguſto ſubtegmine, filum eſt
Vita tumens Regum, monitis parere Deorum
Diſcite. terribilis poſthac ſiquando tumeſcet
Cæſarea de ſtirpe colus, lacerentur in ortu
Licia; non ullos extendant juſſa Nepotes
Vellera: deficiant truncis exanguia filis.

Di-

Dixerat: & Libyen victrix petit, ore procaci,
Et risu testata dolos. sed nescia fraudis
Atropos, Augusto turgentes vellere lanas
Germine truncabat viridi. Germania, luges
Funera Regnantum, manibus properata malignis.
Sed non fracta malis tibi mens; & fortis avaræ
Occurris, LEOPOLDE, minis: pondusque ruinæ
Æquali cervice subis. jactura negatæ
Stirpis ab indomito pensatur pectore. proles
An tenuis fors victa fuit? quæ pignora curet,
Hæredem forti potis est qui pectore victam
Scribere fortunam? quæ tempora, longa Nepotum
Sponderet Soboles, non ullo labilis ævo
Annorum series, æternaque sarciet ætas.
Sed non passa diu fortis Germania labi
Sceptra sibi; viduosque situ languescere Fasces.
Tot commota malis, Cœli qua parte nitentis
Tollit adoratas mitis Clementia sedes,
Urget iter; Sacrumque petit per nubila clivum.
Non qualis gelidi ripas fumare Tibisci
Sanguine Bistonio docuit; Dravumque, Savumque;
Pannonicos ultra fines cum Marte feroci
Lunigeras acies ageret; longosque pararet
Matribus Ismariis luctus, per mœsta suorum
Funera: non qualis fallacia signa, dolosque
Comprimit Hungaridum; perjuraque castra coercet.
Telis dextra vacat; cristarum errore comantum
Non galeæ lascivit apex; sed languida gressu
Invalido, & palla ad talos effusa nigranti.
Mox lacrimis aggressa Deam, genibusque voluta
Singultantem animam gemebunda reciprocat ictu
Perpetuo, fletuque genas sulcante, profatur.

Da-

Danubii miseranda Parens, nec forte superbæ
Degener Europæ soboles, tua limina, Virgo,
Ingreditur supplex, sedes reditura relictas,
Aut ope, Diva, tua, fortis Germania victrix,
Aut nulla. curis agitant suprema malorum
Tristibus; extremique vetant consistere casus.
Tu servare potes; tu perdere sola dolentem:
Elige, utrum malis. non exaudita perivi.
Quid mihi nam reliquum? quæ Numina lassa fatigem,
Obsistat quando ipsa meis Clementia votis?
Non petimus, celso dejectos culmine Dacos;
Littora non Scythici populata Borysthenis, olim
Quæ mihi læta dabas. mihi non proculcet Abydum
Miles; Hydaspeasve vehat meus Ister arenas.
Non equidem miseræ tantum sperare licebit;
Nec mea me fortuna sinit. tu Cæsaris Aulam
Ne prohibe, tot avis digno pubescere fœtu,
Defecisse sinas nec amatæ stirpis honores.
Quippe nec indignum, gentis si gesta rependas,
Æternùm vixisse genus. tibi militat omni
Relligiosa sinu soboles. mihi testis Iberæ
Non humilis Dominator aquæ; cui plurima cessit
Barbaries; frontemque sacras lustrata per undas,
Innumeris superas arces cultoribus auxit.
Si rapis Augustæ prolis tu germina terris,
Me rape (nam merui) terris. hæc fata, fluentes
Ingeminat fletus. sed non aversa petenti
Annuit, & vultus Clementia pandit amicos.
Mox ait. Æternum statuunt tibi Numina Regnum,
Ne dubita; Natura novos tibi sudat in Orbes:
Me cape Fortunæ pignus. sedet Austria toto
Corde mihi, qua thure novo mihi semper Eois,

Oc-

Occiduiſque calent vigiles altaribus ignes.
I, ferrugineas genus implacabile Parcas
Imperiis inviſe meis: mihi nota doloſi
Livoris facies, noſtramque imitata Sororem.
Auſpice me, Clotho ſceptris æterna laboret
Stamina Cæſareis; fulvo ſed clara metallo
Penſa fluant; filoque Tagus decreſcat in uno.
Det ſobolem terris invicto Marte potentem,
Ignibus incoctam generoſis, cui fluat omnis
In vultum Charis, & mentis prædivite cenſu,
Sidera qua tumeant, Orcus fremat omnibus umbris,
Auſtriacam. dixit: prono Germania lapſu
Vivere teſtatur: mox ebria ſorte futura
Turget; & abſentes ſpe præcurrente triumphos,
Maturat celerare gradus. jamque urget ahenos
Parcarum poſtes, & inexorabile limen.
Ut nigræ patuere fores, & mortis opacæ
Hoſpitium ferale, ingens; Lethęus oberrat
Quod ſopor, & placidis umbroſa ſilentia pennis;
Extemplo magni ſic incipit Arbitra Rheni.
Turba, malis ſaturata meis, quam Livor adegit
Me petere, Auſtriaco mihi debita germina ſceptro
Dum præciſa negas; dedit has Clementia leges.
Cæſaream in ſobolem ſtamen Regale perita
Arte laborandum; liventi fila reponat
Quæ toties lacerata manu. vulgaria veſtris
Vellera de calathis non poſcimus: aurea eburnam
Stringat lana colum: totas huic exere vires:
Cæſareo, ſatis hoc, ſolio ſervire memento.
Dixerat. extemploque truces parere Sorores;
Nam patuere doli, & picti Livoris imago.
Seſe operi accingunt; denſo ſtant ordine nixæ
Se-

Sedibus horrificis; numeroſaque vellera circum,
Sed pretio, & variis diſtincta coloribus adſtant,
Qualis quæque ſuis. pars conformata minacem
Fulgurat in chalybem: pugnaces inde Gradivus
Promit ad arma viros: veſanum hæc lana Typhœum
Immiſit Cœlo; velox hinc ortus Achilles,
Dulichiique Duces, & quot concurrere bello
Xanthus, & Ogygiæ viderunt agmina Thebæ.
Sed contra in graciles vernat pars altera flores;
Atticaque Hyblæis permixto vere maritat
Mella roſis: ſpecie hinc ſurgit memorata Juventus,
Hinc quæſitus Hylas, funeſtæ & flamma Lacenæ:
Hinc tuus, heu! primâ præreptus, Phæbe, juventâ,
Ardor, Amyclides: atque hinc ſtultiſſimus unus
Qui propriæ periit formæ rivalis ad undas.
Purior aſt aliis micat ignis. Pallade multa,
Atque animo pars illa valent: hinc vidimus olim
Murmura Cecropiis effervere docta Lycæis:
Divini haud alio ſurgunt de ſtamine Vates:
Seu fera bella canunt, afflati numine ſacro;
Fronde tua nitidos ſeu vincti, Phæbe, capillos,
Aonidumque choros, & Theſpia Sacra frequentant.
Hinc etiam puras veniunt in luminis auras,
Qui fandi egregii Authores, fera pectora dulci
Eloquio mulcent; blandoque optata reſolvunt
Ora ſono; dociliſque Fori moderantur habenas.
Ebria ſed Tyrio fulgent quæ murice, gignunt
Vellera terrarum Dominos; quos purpura veſtit;
Evehit & ſolùm Superis ceſſura poteſtas.
Ergo nocte ſatas ea poſtquam cura Sorores
Solicitat, generi regalia ducere penſa
Auſtriaco; atque omni ſtamen ditare metallo;
Omni-

Omnibus è calathis, quæ se pulcherrima produnt,
Fila legunt; miscentque simul; dumque aurea cantu
Licia fatidico sociant, felicia prolis
Auguria unanimi concordes carmine pandunt.
Crescite in Austriacas, o stamina, crescite, palmas.
Prome diem radiante coma, visure beatas,
O Titan, Cunas: terris tibi fulgurat ardor
Æmulus; & magna dudum te luce lacessit.
Tu quoque, Teutonicæ Regnator belliger undæ,
Rhene parens, testare diem, quem sęcula laudent,
Invideantque simul: magno tibi nomine ripa
Murmuret; & plausu fluctus imitare marinos.
Crescite in Austriacas, o stamina, crescite, palmas.
Nascere, delicium Charitum; columenque, salusq;
Terrarum, & viduis solamen amabile terris,
O Superis dilecte, Puer. cum firmior ętas
Durabit teneros annis melioribus artus,
Pannonici Fasces, positis & Dacia bellis
Te Regem accipient; totis tibi serviet ingens
Danubius ripis; septemque per ostia pręceps
Sub tua jura fluet; Getici nec vincula passus
Littoris, Euxinas exibit major in undas.
Crescite in Austriacas, ò stamina, crescite, palmas.
Quantus erit sudorque viris, clangorque metallis,
Cum fera Pannonicos complebit Thracia campos;
Milliaque effundet, quot nec Marathonia tellus,
Nec Salamis tecto vidit silvescere ponto,
Cum portentosas ageret pharetrata catervas
Persis, & innumerę fremerent in pręlia puppes!
Sed veluti Euphratem, cymba male tutus in una,
Ductor Achęmenius rediit, cum panderet auris
Tota sinus tremebunda abies; quę sola superstes
Ni-

Nimirum de Classe fuit, mirantibus undis,
Hellespontiacum modo quæ prætexuit æquor;
Non secus, inducent sævis cum Teutonas armis
Bojarius, Lotharusque, Duces, & grande potentum
Allobrogum decus, Eugenius; per tela, per ignes
Odrysiæ malè signa ferent fugitiva phalanges.
Mœsia relliquias tenues mirabitur hostis,
Quem malè sustinuit totis non pervia campis.
Crescite in Austriacas, o stamina, crescite, palmas.

Blande Puer, titulos, laudesque æquabis Avorum;
Mascula quos virtus, & semita dura laboris
Extulit ad Superos. niveis te sacra lacertis
Relligio, te cana Fides, Pietasque, Pudorque
Amplexu refovent; & corda sequacia fingunt,
Ingenio formantque suo; primisque sub annis
Montosum virtutis iter, damnosaque monstrant
Gaudia, & incautis animis, mollissima Siren,
Quas sensim struit insidias fugienda Voluptas.
Invicti demum vestigia clara Parentis
Ostendunt: docilem pulchræque cupidine laudis
Exacuunt mentem: non degener ipse verendos
Vincis avos; veræque flagrans Virtutis amore,
Impiger invadis, signat quem Gloria, callem.
Crescite in Austriacas, ò stamina, crescite, palmas.

Talibus auguriis, læto & modulamine Parcæ
Austriacæ Sobolis laudes, Cunasque secundant.
Sed tu, Magne Puer, factis præsagia vinces
Fatidici cantus. spero hæc: &, sidere dextro,
Strymoniis dum vincla paras innectere ripis,
Aonio memores tibi pasco in littore lauros.

VATICINIUM
JOSEPHO AUSTRIACO

Romanorum, & Hungariæ Regi, &c.

Dictum in Aula Maxima Collegii Romani.

CARMEN V.

Illu-

Illustrissimo Celsissimoque Domino

ANTONIO FLORIANO

S. Romani Imperii Principi de Liechtenstein Nicolspurgi, Tropavii, & Jagerendorfii in Silesia Duci, Comiti de Ridberg, &c. S. Cæsareæ Majestatis ad Apostolicam Sedem Pro-legato.

CAROLUS DE AQUINO FELICIT.

FESTIVUM *Carminis Præsagium*, quo faustissimam JOSEPHI AUSTRIACI ROMA-

NORUM REGIS inaugurationem ſolenni gratulatione, Collegii Romani nomine, celebrare contigit mihi, Tuo inſignitum Nomine prodire geſtit in lucem, CELSISSIME PRINCEPS. Ad efferendam Carminis tenuitatem cum Argumenti majeſtate Tui claritudo nominis egregiè conſpirat. Nihil certè ad illius commendationem glorioſius, quàm Regis tot inter triumphos, ac majores etiam in ſpes editi decora recenſere; Principis verò generis claritate, integritate morum, dexteritate, prudentiaque in rebus agendis laudatiſſimi patrocinio illuſtrari.

Carminis Argumentum.

JOSEPHUM AUSTRIACUM evolutâ proximè Hyeme Romanorum Regem renunciatum, jamque, ut ominari jure optimo licet, Orientis Imperii candidatum, magnum alterum Constantinum, festivo præsagio salutamus. Poëtici seriem vaticinii ex veteri Historiâ deductam subjicimus. Flavius Constantinus Magnus Imperator, subactis Imperii æmulis, Sapientiæ divinæ, cui, Regnorum utique moderatrici, Arbitræque, utriusque Imperii titulos referebat acceptos, Templum Constantinopoli ponit. Illud opere picturato exornare dum studet, ætas earum artium rudis obstabat. Tum Divina Sapientia dicatum sibi Templum Cœlestium Procerum ministerio depingi jubet; Regnorumque serie, ac demùm Austriacæ Familiæ victoriis illustrari. Imperator de suâ posteritate, exituque Religionis in futuras ætates pridem sollicitus, Cœlesti Aulico coloratam futuri temporis Historiam explicante, prægestiit, Romanum Occidentis Imperium, post longas sæculorum vicissitudines, in Austriacæ Familiæ Principe Orientis Imperio iterum jungi: ac veluti novum in JOSEPHO AUSTRIACO reflorescere Constantinum.

CARMEN.

AUSTRIACO quid certa ſequi Victoria Faſces;
Quid ſtabili, nam rarus honos, portenderet Æther
Illecebrâ ſortis; quid tela; quid irrita nunquàm
Vota Ducum; longique fides illæſa ſereni;
Addita Pannonicis titulis quid Dacia; Dacis
Mœſia; perpetuis quid non laſſata triumphis,
Et tanto demum peteret Fortuna paratu;
Tandem ſcire datum: cæcâ caligine tectos
Fatorum vultus ſoboles Auguſta revelat,
Quæ pridem Hungaricis, nunc Faſcibus aucta Latinis,
Regna animo ſuperat, quę vix bene computat annis.
Principis ut chlamydem irradiet, ſaturetque decoro
Murice, non Tyrio liveſcit lana veneno,
Oebaliæve ardent conchæ; ſed purpurat Iſter
Strage Aſiæ: Odryſiâ ſolium Regale ruinâ
Erigitur; lapis Eoâ non lectus in undâ,
Victa notant ſed Regna diem, quem veſtra ſerenant,
Credite, non violant, Scythicæ, ſuſpiria, Matres;
Plaudit & invito dum rorat Thracia luctu.

En fauſtum titulis aperit regalibus annum
Bruma rigens: inſueta nives ſenſere ſolutæ
Gaudia; flammanti glacies incenditur Oſtro;
Et mediis laſcivit Hyems trabeata pruinis.
Fallitur, indecorem quiſquis tranſcurrere Brumam
Conqueritur; fœdis non illa ingloria nimbis,
Ignavoque ſupina gelu per lenta ſeneſcit
Otia, difficileſque peti faſtidit honores:
Et glaciem ſuus ardor habet: pro CÆSARE fervet,

Soli-

Solibus æstivis non degener illa. triumphis
AUSTRIACIS pars nulla vacat; si diruit arces,
Agmina si cædit, si Regna intercipit Æstas;
Reges Bruma parit: lauro viridantia serta
Illa metit; frontes sed præparat ista Coronis:
Illa laborantis decerpit munera Martis;
Æstivi florem sed colligit ista laboris.
At Puerum Regnatorem nova destinat Ostro
Semita: sanguineâ non ille aspergine lætus
Regia per clades mercatur serta; sed ipsa
Regna fremunt, properantque capi; congestaq; Sceptra
Lactentem invadunt penè ad Cunabula Regem,
Prævertuntque diem. Reges, & Regna vetustas
Mutavere vices: jam non Rex Regna requirit;
Regna petunt Regem; & fuerat quæ Principis olim
Ambitio, notusque ardor, nunc incipit esse
Regnorum. ò utinam tali sis Thracia voto
Ambitiosa diu. nostras optare catenas
Pergite, felices Populi: sua munera terris
Continuent Superi faciles; habeantque, quod optant
Cæsareæ, Scythicæque acies; pars omnia vincat
Altera; sed placeat semper Victoria victis. (tus
Tu modò (nosco etenim teneros se quanta per ar-
Gloria Majorum verset) resonantia quamvis
Classica magnanimæ biberent jucundiùs aures;
Blanda licet Mavors agitet præcordia, Turres
Atque fremant tenero sub pectore Bizantinæ;
Annue, fatidici paulum modulamine cantus
Frangere Gradivum implacidum. Chironis in antro
Talis erat, si vera fides, quem vincis, Achilles.
Ille, licet primis jam præsudaret ab annis
Dardaniæ, & tacitâ quateret jam Pergama curâ,

Errantem fidibus dextram innectebat eburnis;
Semifer & Custos Trojæ cum Fata referret,
Ignis & Iliaci præsagia; protinus ille,
Ignarus caneret torvus quæ bella Magister,
Grande melos cantu repetens, cytharâque minori,
Trojam iterum, læto resonabat pectine Trojam
Parvulus, eversamque Asiam, & sua facta canebat.
Auspice jam Cœlo,& socia arma ferentibus astris,
FLAVIUS * Occiduum bello pacaverat Orbem.
Nec pietas generosa Ducis persolvere grates
Cunctatur meritas Superis sua Castra sequutis.
Ille tibi, rerum genitrix, quæ maxima nutu
Regna moves, fons primævi, Sapientia, Veri,
Templa locat, resono quà Bizantina profundo
Urbs tonat,& vastâ geminum Mare protegit umbrâ.
Occurrit Cœlo, cognataque sydera pulsat
Culmen adoratum; Regnatricemque superbis
Turribus, & celsâ testudine despicit Urbem.
Olli multa Paros decrevit; multa nitentes
Cæsa sinus Ephyre, maculosaque marmora Lesbos
Prodigit. ignavo nec inermia surgere nisu
Saxa putes: sacras bene si perpenderis ædes;
Præsidium hìc ingens, dubiisque adamantina Regnis
Sepimenta vides, & inexsuperabile robur.
Turribus æratis nimiùm ne fidite, Reges;
Fallit sæpe fidem duplicis custodia muri.
Extruite immanes arces; horrentia valla,
Haud equidem moror, ignivomis saturare sagittis
Tendite; sed Superis primùm, Templisque salutem
Credite Regnorum: nequidquam turris ahenæ
It

* *Constantinus Magnus.*

It Cœlo criſtatus apex, & fœta metallis
Mœnia inhorreſcunt: fragilis tutela timorum eſt;
Cœlicolûm ſi fœda nigro laquearia fumo
Sordeſcunt; aras rarâ ſi nube vaporat
Parcus Arabs: nudis Pietas & cenſibus alget.
Perge pium totis LEOPOLDUM tollere pennis
Fama; triumphato non tam quòd victor ab Iſtro,
Mœnia ſemirutæ ſolido de marmore Budæ
Prætexit, reparatque tuę ſpecioſa ruinę
Vulnera, Taurunum; quàm Templa niteſcere cultu
Quòd jubet ille novo, ſacros & luſtrat in uſus
Dite profanatas aras, Cæloque maritat.
Arcibus innumeris, CÆSAR quas erigit, hoſtes
Mortales ſuperat; Templis ſed Numina vincit,
Expugnatque pius: ſupplex hinc obſidet aſtra,
Et quatit ęthereas placidis impulſibus arces.
FLAVIUS interea doctis animare figuris
Cycladis auratę textum, & contermina Cælo
Templa parat: neque enim Delubri gratia ſimplex,
Majeſtas nec nuda placet. ſed nulla per Orbem
Par operi manus: ingenium, curaſque fatigat
Nequidquam Magnus: ſęvis exercita bellis
Deſpicit ingenuas artes, non excolit ętas.
Atque ea ſolicito CÆSAR dum pectore volvit,
Altera ſupplicio trepidum graviore remordet
Cura Ducem: Regnis veniant quę Fata paratis,
Quis modus Imperio; feros viſura Nepotes,
An formidatos rurſum paritura Tyrannos
Sceptra regat, dubitat: fidis ibitne ſuperſtes
Relligio populis, & poſtera ſęcula cultu
Viſet inoffenſo, terris an pulſa recedat
Rurſus, in ancipiti eſt, feros dum proſpicit annos,

 Sor-

Sortis & ingenium longo jam callidus usu
Æstimat. incertum ambigui caligo futuri
Torquet, & occultis exercent secula curis.
Principibus nunquam solis regnare licebit.
Regni consortes alios si bella repellant;
Invadit Fasces socius timor: ille Curules
Æquat cum Domino, & solio dominatur eodem.
Providus ęternâ consanguinitate ligavit
Sceptra,metumque Deus. timor,& metuenda potestas
Nascuntur magnis concordia sydera Regnis;
Acrior illa suos hoc frigore temperat æstus.
Sed non passa Ducem lento tabescere morsu,
Consilii fęcunda parens, Sapientia; gratas
Persolvitque vices. Castris desponsa Latinis
Relligio memori non unquam pectore Divę
Excidit, & lato Templum quod fulgurat auro,
Sed pietate magis. Cælestis protinus Aulæ
Imperat acciri Proceres; tum, pergite, dixit,
Templum augustũ, ingens, nostro quà nomine surgit
Littore Threicio. Cœlo occurrentia saxa,
Incultosque novis animare coloribus arcus,
Vos manet egregius sudor. quæ norma, quis ordo
Imperiis, longo quidquid nos lusimus ævo
Orbe super, ventura olim quid proferet ætas,
Flaviaden muti doceat facundia saxi;
Fataque Regnorum, dubiâ quę mente requirit,
Muneribus legat ipse suis. sit meta laboris,
Delicium Superûm, LEOPOLDI AUGUSTA propago;
Eoos iterum Magno quo Principe Fasces,
Fascibus Occiduis jungi mirabitur Orbis.
Vix ea. Sydereos labor inclytus urget Apelles.
Ut quęrat, doctâ quos misceat arte, colores
Inge-

Ingeniosa manus, gremium non Tethyos Indę
Invadit; gemmantis opes non conterit algę,
Flaventisve luti pretium, aut stellantia saxa
Eliquat: astrorum jubar immortale colores
Suggerit: in flavum Titan, argentea Phœbe
Solvitur in niveum; Saturnum plumbeus haurit,
Ignitus Martem; si cessent sydera, curvo
Una omnes complexa sinu Thaumantias offert.
Jamque renidentes camerati fornicis arcus
Luce nova radiant; picturatusque coruscat
Hinc, illinc vertex; sudant immania saxa
Ferre sinu tot Regna; brevi tot claudere gyro
Sęcula. dum Templi penetralia fortè revisit
FLAVIUS, attonitos nova per miracula volvit
Huc illuc oculos. animo sed plura moventem
Occupat ętherep socius nitidissimus aulę.
Felix, impendunt vigiles cui sydera curas:
Votis ecce tuis studio certante laborant
Artifices Superi, CÆSAR; si terra negavit
Desidiosa suos: dubiæ pręnoscere sortis
Si casus amor est; hic mecum consule Fastos
Regnorum; fatis animos & pasce futuris;
Jam nunc AUSTRIACIS & cedere disce triumphis.
Fornicis aurati summo pars margine longè
Quà refugit, sensimque gradu fallente recedit,
Exercetque dolos, & opes mentita repostas
Ulteriora oculis, etiam dum deficit, offert,
Regna vides, gravis Assyrio quę condidit Orbe
Euphrates: vestris animis prior ille catenas
Molitus, docuitque genus servire superbum.
Cerne Semiramias longo rarescere turres
Pulvere, & insanos, posuit quos fœmina, muros,
Marte

Marte potens, majorque ſuo quę credita ſexu;
Perdita ſed luxu, partos quoque perdit honores.
Degener ille magis, qui fœda exempla ſequutus,
Ultimus Aſſyrios funeſtat imagine Faſtos.
Nec mora: deliciis victam pede proterit aulam,
Meda phalanx; ſed & ipſa tuis ceſſura pharetris,
Perſis. Achæmenios Faſces, regnataque Cyro
Bactra vides: longo Arſacidę ſtant ordine Reges,
Illuſtres animę, queis celſior aſtra Niphates
Impetit, exuviiſque tumet pharetratus opimis,
Et ripas lauris victricibus umbrat Araxes.
Nulla fides ſceptri radiis; & Regna laborant
Morte ſuâ. inſano attollit ſe Gręcia faſtu,
Fręna triumphato pręceps imponere Mundo.
Per medias acies, nudoque micantia ferro
Agmina, Pellęus quantâ ſe mole Tyrannus
Ingerit, æternos Divûm mentitus honores.
Nimirum ſimulacra ſui ſi talia vultus
Noſſet Alexander, toto non anxius Orbe
Artificem, magni ſpeciem cui crederet oris,
Quæreret; atque ſuum dedignaretur Apellem.
Spes Juvenis longas, & vota immania Regno
Eludit Fortuna brevi. jacet ecce Latinis
Præda Aquilis laceri Imperii diviſa poteſtas;
Spe dubiâ infenſos fallax dum Roma Tyrannos
Lactat, & occultis mentitur fœdera bellis.
Hinc toto complexa ſinu Fortuna Curules
Romuleas, cunctas & ſceptra umbrantia terras.
Quantus honos Urbis, decorat ſeu Conſule Faſtos,
Seu parit AUGUSTOS! avido quos lumine, CÆSAR,
Dum luſtras, numeraſque Duces, & fortia bella;
Te quoque Principibus permiſtum noſce Latinis.
Hîc

Hic tibi in Hesperios hostes fera bella paranti
Porrigit arma favor Superûm ; non ære rigentes
Tergemino clypeos , crebrisque nitentia flammis
Spicula ; sed Siculis ignota incudibus arma ,
Emeritæ simulacra Crucis : micat advena Cœlo
Pœna ; diem , rutilo melius Titane , colorat
Nobile supplicium : extremas procurrit in oras
Zona sinu niveo , Cœlique Oracula pandit ,
Fatiferas inscripta notas ; Hoc auspice Signo
Victor eris : nova CÆSAREIS Insignia Castris
Hinc micuere Cruces : felix it tessera belli
Carbaseas intexta nives ; elataque Cœlo
Sentit adorantes Zephyros , dum Signifer auris
Ventilat argutis læti præsagia Martis ,
Attollitque fidem Superûm : tum curvat ahenas
Relligio galeas , sensimque afflata recenti
Castra Deo ; pietas ultra thoracas anhelat
Fervida ; festivis nullę sine motibus hastæ ;
Et lęti nulla cessant de casside fletus.

Omina nec rerum eventus Cęlestia fallunt .
Hic tibi Licinium servili compede miles
Atterit : hic Tyberim galeis victricibus haurit ,
Funere dum gelido præceps Maxentius undas
Opprimit ; & vero Tybris Phaetonte superbit ;
Fabula si mendax magnæ splendore ruinę
Eridani ditavit aquas . nunc disce futuri ,
Magne , vias Fati . domiti patrimonia Mundi
Tergeminam in sobolem scindis ; licet illa superstes
In longum dubios Fasces non proferet ęvum .

Lucis inops ętas , inimicaque sęcula Vero
Hinc fluere incipient ; cum proteret impia sacros
Relligio Superûm cultus ; sive illa Tonantis

Uni-

Unigenę Soboli divinę ſtirpis honores
Invidet, & parili Genitorem pignore fraudat;
Sive tuos minuit, ſpirabile Numen, amores;
Stagnat ſive novis, errorum Lerna, venenis.
Nec Superi ceſſant meritas depoſcere pœnas.
Protinus horrentes Cimbri, potator & Albis,
Et quicumque tuos, glacialis Viſtula, campos
Incoluere, ruunt; viles fluxere catenę
Hinc Regnis, Europa, tuis; hinc ſerva recenſes
Barbaricos Reges: ſic Relligionis avitę
Deſertorem animum, & Fidei perjuria ſolvis.
Scilicet aſperiore flagro ſi perdere terras
Feſtinat violata Themis; non clauſtra relaxat
Imbribus ęternis; flammâ non vindice ſęvit;
Sed, populos quæ ſumma manet vindicta nocentes,
Pallida ſanguineis diſpenſat Regna Tyrannis.
Ultima ſe faſtu ſoboles Othomana ſuperbo
Evehit, & nomen titulis Regalibus infert.
O pudor! horrentis Scythiæ qui natus in axe
Exercebat agros Populus, ſubmittere ſævis
Europamque Aſiamque ferox jam cogitat armis.
En multos nova Roma ruit dominata per annos,
Threicii Regina Maris, quam nomine ſignas,
Magne, tuo: Pharius captivo gurgite Nilus
Servit, & illimes Jordanes decolor undas.
Imperio Cyprus mox addita; Cretaque toto
Turpe jugum lacrymata mari. Victoris iniqui
Nec ſaturata fames. rapidis labor ultimus armis,
AUSTRIA. jamque acies trepidam lunata Viennam
Aggere ferrato obnubit; jam major iniquis
Exulat AUGUSTUS Fatis, poſitâque verendus
Majeſtate magis. Fert nobile nocte ſilenti
De-

Depositum currus; miseræ lorisque quadrigæ
Terrarum grandes mutat LEOPOLDUS habenas.
Perge tamen felix; vel sic, AUGUSTE, triumphas,
Et palmis metiris iter; tuque improbe Livor,
Exuvias ne quære, catenatosque maniplos:
Clarior hostis adest; duro laqueata metallo,
Victa triumphalem sequitur Fortuna quadrigam.
FLAVIUS errantem fugitivo CÆSARE currum
Ut vidit, tanti casus miseratus amaros
Ille Ducis, mæstâ contristat imagine vultus.
Jamque diu tristi collectum nube dolorem
Egerit in lacrymas tandem. Tu, CÆSARE viso,
CONSTANTINE, gemis; sicco qui lumine labi
Eoi decus Imperii, tua sceptra, tulisti.
Ergone quas lacrymas Geticis non diruta flammis
Regia Flaviadum, quas non extincta propago
Promeruit, LEOPOLDUS habet? sed triste gementem
Aliger obtutu recreat. Fœdare serenos
Parce, refert, vultus: curru non CÆSAR in illo;
CÆSARIS at fugiunt immitia fata: secundos
Jam meruit Superos adversis cognita virtus.
Scilicet obsessam pudibundus deserit Urbem,
Prędæ Miles inops, & vulnera sola reportat;
Non has exuvias, thalamis non ista maritis
Munera pollicitus. tremit anxia turba; metuque
Præcipitante fugam, per fœda paludibus arva,
Per nemora indecores frustra cælantia cursus,
Turpe retexit iter; Scythicâque è strage calentes
Non semel horrescit, nuper quos terruit, amnes.
Cladis inexhaustę pretium Strigonia pandit
Victa sinus; tum valla super Neoselia nidos
Victrices posuistis Aves; lacerataque ferro

Tu

Tu quoque Buda ferox, & turgida Marte fecundo,
Procumbis, veteres ultra nec surgis in iras.
Altus equo Lotharus ducit per hiantia gressus
Mœnia. frontis honos, oculique, elataque cervix
Dissimulant mortale genus; vomit aurea flammas
Cassis, & erectâ gelidus timor errat in hastâ.
CÆSARIS ante pedes famulus quòd volvitur Ister;
Desilit immensę revolutus culmine fortis
Quòd Geticus furor; Imperio quòd reddita servit
Mœsia Teutonico; poscit quòd fœdera Dacus;
Illyrico raræ niteant quòd littore Lunæ,
Huic debes, Europa. suis quem gloria bigis
Tendit Abydenis victorem, Asiæque superbæ
Dum populis inferre; anceps stetit aëre currus
In medio, dulci captusque errore viarum,
Grandem animam, & domiti spoliis Orientis onustam
Invexisse Asiæ dum credidit, intulit astris. *
Cælicolæ plaudunt; tenduntque audire triumphos
Vulgantem Hungaricos: avidâ Solymeïus aure
Ante alios, consanguineos Gothefridus honores,
Cognatasque bibit laudes; seseque Nepoti
Collato fruitur; Jordanem comparat Istro;
Hungariam Syriæ; & gaudet, se Judice, vinci.
Interea tanti Germania funeris alto
Pectore dissimulas vulnus; galeâque madentes
Castigas oculos; &, quod vestigia magni
Clara Ducis signant, Lotharâque inscribitur hastâ,
Carpis iter belli. Austriacis jam Thracia plaustris
Arva sonant; it mæstus aquis Rhodopeïus Hebrus,
Aspe-

* *Caroli V. Lotharingiæ Ducis, Summi Imperatoris interitus.*

Asperà ludentis Fati, imperiique cadentis
Nuncius Oceano. Bizantia mœnia fervent
En tibi Teutonico de Milite; ferrea latè
Possidet arva seges; neque enim generosior unquam
Sudor iit. quantus resonat per littora clamor,
Qui gemitus, laceras victrix Germania turres
Dum tenet, & Lunis Aquilæ micuere revulsis!
Occidit Imperii felix prædator Eoi
Ille diu Populus; latisque amplectitur ulnis
AUSTRIA pacatum geminatis Fascibus Orbem.
Tu verò obtutu, CÆSAR, dum singula lustras,
Heroem si nosse cupis, cui sceptra parantur
Grandia, qui magnis tibi fulgurat æmulus ausis;
Ecce tibi ante oculos LEOPOLDI AUGUSTA refulget
Progenies: saturare licet tibi Principe viso
Lumina, & egregios animi deprendere cultus.
Quantus in ore nitor! niveâ quæ gratia vernat
Fronte super! quanto radiantur lumina Cœlo!
Forma probat genus AUGUSTUM; stirpisque superbæ
Ampla per immensum clarescunt signa decorem.
Effera, credo equidem, si tales Thracia vultus
Vidisset, tanto non sanguine decolor iret
Danubius: quidquid tot jam per funera partum est,
Extorsisset amor: tot cladibus, AUSTRIA, malles
Parcere. Regnorum pingues avertere prædas,
Odrysii raptoris opes, Geticique superbos
Imperii Fasces, Asiamque evertere, vultu
Hoc solo poteras. radios ubi mitia vibrant
Lumina, quis tantus bellator cedere nolit
Ocyus? & pulchræ titulos meruisse ruinæ?
Olli si nec dum validi flos integer ævi
Umbrat inauratâ teneras lanugine malas;

Au-

Auguſtas tamen umbra genas ſpecioſior ornat,
Laurigerâ quæ fronte venit. Clementia vultus
Sola tamen tenet; & cunctis violentior armis,
Allicit, & vincit. Populi, properate ſerenos
Principis ad nutus; non expectate minantem;
Pergite, dum mites animi, dum mollior ætas,
Spirat adhuc dum multa genis Neoburgica Mater;
Et nondum toto LEOPOLDUS regnat in ore.
Vive diu felix, Soboles AUGUSTA, tuiſque
Adde Aſiam, quæ ſola manet te gloria, palmis.
Parce tamen Libyam bello tentare; triumphis
Illa vacet pars ſola tuis. volventibus annis,
Regia cum tædis radiabit Ibera ſecundis,
Scilicet Auſtriacâ venient de ſtirpe Nepotes,
Axe ſub Heſperio, vaſtis quos Africa Regnis
Accipiet Dominos, totiſque verebitur undis
Maura Thetis. neu vana putes præſagia, fallax
Quà tractus oculis ſpondet Pictura remotos;
Occidui claſſem ingentem per Cærula ponti
Proſpice, Flaviade; & longos caneſcere fluctus.
* Puppe ſuper, multo quæ picta ſuperbit in auro,
Imperat & latè pelago, ſpes magna ſuperbæ
Navigat Europæ: littus Neoburgica Virgo
Tendit ad Heſperium. Non Indæ pallida gazæ
Munera fert Claſſis: flagras cognoſcere merces,
Quas vehit? innumeros fortunatiſſima Reges
Hìc habet, & gemino Hæredes Hiſpania Mundo.
Aliger hæc fatus, niveo veſtigia tractu
Signat, & ad Superos paribus ſe ſuſtulit alis.
Prin-

* *Conciliatæ per id tempus Nuptiæ inter Carolum II. Hiſpaniarum Regem, & Mariannam Neoburgicam, quam Regia Claſſis ſplendidiſſimo comitatu in Hiſpaniam vexit.*

Principe in Auſtriaco, factiſque ingentibus hæret
FLAVIUS, atque ſuas credit revireſcere palmas.
Mox Cœli monitis plenus, ſatiſque futuris,
Lentus abit Templo . ſed greſſus unde recedunt,
Furtivi redeunt oculi; diviſus & ille
Fertur in oppoſitum: Picturæ, avulſus, inhæret
Parte ſui: ſpatiis ſed jam caligat in altis
Obtutus; longoque oculos dolet aëre vinci;
Lumina victa tamen ſupplet mens impigra; pompâ
Secretâ fruiturque animus, qui ſæcula curis
Metitur tacitis; ſeroſque interrogat annos.

HEROICORUM
LIBER SECUNDUS.
FABULA.
De Januensi Cucurbita Saccharata.
CARMEN I.

QUA Mare Sardoum, Cyrneaque littora contra
Descendit placidas Pater Appenninus in undas,
Asperaque adverso latè natat umbra profundo,
Rustica Regna Ligon, si veri est nuncia fama,
Japetides tenuit, quo grande, Liguria, nomen
Dives habes; nondum resoni turrita Segesti
Claustra, nec Herculei surgebant saxa Monœci.
Non Baccho Tabiæ Colles, non consita Cedro
Ora Remi, nitidam patrio nec marmore frontem
Tollebat mediis è cautibus Albigaunum.
Pulsa Mari magno Sabatia parva latebat,
Parva, sed immensas, lustris volventibus olim,

Ocea-

Oceani visura vias, Orbemque latentem.
Tu quoque, nulla patet Populis quâ janua magnę
Clarior Italiæ, silvestribus horrida dumis,
Gramine vel ridens herboso, pabula læta
Præbebas gregibus, fessis Pastoribus umbras,
Nec Ligures Fasces, nec habēbas, Janua, nomen.
Namque ubi nunc vigiles turres, domitoque minantur
Castra mari, tutosque sinus Navalia pandunt,
Et curvo rixosa fremunt commercia Portu,
Piscator scopulo insidens tunc ære recurvo,
Et tremulâ pictos captabat arundine pisces;
Nexilibusque plagis vel prædam nactus, avito
Lintre leves casses, atque humida lina trahebat;
Retia vel notis absterſa locabat arenis
Stratus ad æstivum convexo in littore Solem.
Atque ubi regifico radiant nunc atria luxu,
Atque Alpina domus æquare cacumina certant,
Stramineas habuere Casas, & frondea tecta
Pastores; socias errabant Montibus altis
Ducentes choreas, & Carmina læta canentes.
Vallibus in mediis incultos rustica pubes
Exercebat agros, nullis agitataque curis
Assiduo tenuem victum sudore parabat.
Hos inter postquam, jam multis debilis annis,
Eurytion placida resolutus morte quievit,
Exigui pia ruris opes, & provida castos
Servabat Ligurina Lares; hoc nomine Conjux
Dicta fuit, teneris ubi primùm nupsit ab annis;
Nunc rugosa licèt, licèt annis obsita, priscum
Nomen habet; sed non priscum Ligurina decorem.
Olli solicitæ solamen dulce senectæ,
Filia bina fuit, geminato prodiga partu

Quas dedit, & parvos auxit Lucina Penates.
Sed quas una dies parili conjunxerat ortu,
Invida dissociat morum discordia, dispar
Dividit ingenium; studia in contraria votis
Degeneres abeunt variis; non gratia formæ,
Non oris species, vitæ non convenit usus;
Et si non eadem prognatas hora tulisset,
Nec Geminas illas, nec dixeris esse Sorores.
Altera nam pingui (Colochyntam nomine dicunt)
Arvina tremit, & segni rubigine tardos
Desidiosa trahit vix demùm mobilis artus.
Pondus iners nocet ipsa sibi; fastidit & ipsa
Somnifera se tabe gravem. nam, parca laboris,
Dilatrixque operum, pigros noctesque, diesque
Custodit taciturna focos. Aquilonibus horrens
Quamvis cesset hyems, segnem sua frigora rodunt,
Exedit & venis quæ bruma senescit in imis,
Concreto torpore rigens; non Mulciber illam,
Non flammis domet Æthna suis. Sed corpore crasso
Pinguius ingenium. deformis inertia lentos
Illaqueat sensus, gelidus rigor alligat ora;
Aut silet, aut tandem si vocibus ora resolvit,
Non fronti decor ullus adest, non gratia dictis.
Oderunt Charites morbosa silentia stultè
Servantem; oderunt Charites, Veneresque loquentem.
Sed contra graciles monstrat Soror altera vultus,
Contractas exsucca genas, & corpore toto
Arida; sed teretes artus, argutaque membra
Dulce movet; sequitur gressus comitata venustas,
Urbanique joci. nàm ruris agrestia quamvis
Tecta colat, nil ruris habet; nomenque Melissæ
Fecerunt dulces, dulcissima nomina, mores.
Ser-

Serviles curas operoso intenta labori
Accelerat, cœnasque manu concinnat inemptas,
Munditiemque domus curat, sequiturque pudicæ
Imperium quocumque vocat, nutusque parentis;
Non ignava quies, non otia turpia cordi.
Ergo plumatum vel agens studiosa bacillum
Annosas atro detergit pulvere mensas,
Deturbatque leves, quas texit aranea telas,
Everritque domum; nitidi vel fontis ad undas
Abluit exertis sordentia lina lacertis,
Et refluis nunc mersat aquis, expansaque jactat;
Nunc niveâ collecta manu per scrupea fontis
Labra terit, simul & nitroso glutine tergit,
Pumiceo obnitens saxo; pulsatque, feritque:
Ac demùm digitis bis ter revoluta reductis,
Et compressa diu, magna vi flexa retorquet;
Illuvies donec, squalorque immundus, & omnis
Exsudet maculosa lues; niveosque secundi
Solis ab aspectu, flagranti & lumine vultus
Accipiant, virides latè diffusa per herbas.
Verùm ubi nox nigrâ condit caligine terras,
Stragula, carbaseos, velamina frontis, amictus
Pervigili restaurat acu; silvestria poma,
Far modicum cellis inducit; multaque pernox
Urget, avara dies quæ festinare negavit:
Sustinet una domum. blandę sed cura Melissæ
Prima fuit, Colochynta Soror. non moribus obstat
Ista suis tantùm, sociat, jungitque Sorori
Quantùm fidus amor: superat natura rigorem
Indolis adversæ; nexu quam sanguinis arcto
Cogitat esse suam, licet absona forma repugnet,
Est ornata satis; quo se cognoscit in illa,

Illud amat; vitiant qui frigida corda, finiſtros
Diſſimulare juvat, Fortunæ incommoda, mores.
Qualis avis, viridi quæ fixit in arbore nidum,
Robora ſi Boreas perſtringat nota, comaſque
Decutiat, tamen illa redit, frondeſque frequentat,
Integrat & veteres cantus; qui dulcia ſervant
Pignora, ſat credit mater ſplendeſcere ramos.
 Illa ſuas Sociæ vires, & robur inerti
Sufficit, admonituque juvat, mulcetque, fovetque.
Nunc reſides animos, ignavaque pectora dictis
Incendit, mollitque rudem, tollitque jacentem:
Verba, ſaleſque ſuos nunc ipſa miniſtrat ineptæ;
Occupat & voces, reſponſaque pinguia ſupplet,
Dulciloquo ſtupidamque tegit, vel corrigit ore.
 Otia præcipuè dextræ ceſſantis amantem,
Grataque ſecurę ſectantem commoda vitæ
Sublevat, & quæ Germanæ properanda manerent,
Hanc etiam duri partem ſubit illa laboris,
Aſſuetaſque manus operi, geminoque paratos
Explicat illa ſinus oneri. Sic dulce Sorori
Præſidium, columenque venit. Sed callida Mater
Ne malè compoſitas fraudes præſentiat, aſtù
Adjuvat ingenium. ſua munera ſcilicèt explet
Illa palam; vultum intereà ſpeculata Parentis,
Germanam furtiva juvat. tot gliſcere vires
Tardigradæ, & validum frigenti in corpore robur
Miratur Genitrix, æqualia munera natis,
Et curas partita pares. Nam ſæpius illa
Vicinos in agros cum primi ſolis ad ortus
Itaret, quò cura domus, & dura vocabat,
Exiguis quæ multa focis occurrit, egeſtas,
Digreſſu natas ſic fata reliquit in ipſo.

Vel-

Vellera, textilibus Calathis quæ plena relinquo,
Certatim jubeo fusis deducite: primo
Vespere dum redeo, nisi cuncta exacta revisam,
Insomnem ducet cessatrix improba noctem,
Pensaque longa trahet; nec plura locuta recessit.
Extulerat vix illa pedem, Colochynta capillos
Cum ferit innocuos, & cædens turpiter ora;
Menè, Soror, dixit, digitos tenuare rotatu
Staminis immensi? non si me noxia perdant
Fata, sinam. luctu misero commota Melissa
Pone metus, questuque, refert, absiste; gravabit
Me solam labor iste, Soror. Fidissima nostro
Tu lateri assideas; fletu corrumpere & istas
Parce genas; hilarem frontem, vultusque Melissæ
Redde tuos, acuet nentem frons læta Melissam.
Sese operi simul accingit; laterique colurnam
Innectit de more colum; quæ, vertice summo
Turbinis in morem modico curvamine secta,
Lina per insertas recipit candentia rimas.
Et primùm digitis decerpit mollia pensa,
Vellit & obstantes nodos, tricasque, manuque
Allambens fingit: mox licia ducta coruscum
In capulum glomerat; prægnantem & pollice buxum
Intorquet; crepitant digiti; micat orbe citato
Verticulum, & rapida tendit vertigine fila.
Si malè turgescunt implexis stamina villis,
Asperaque obsistunt, udis admota labellis
Pensa domat, doctis demorsaque dentibus æquat.
Illa duplex maturat opus Sociæque, suumque,
Solaque fert, impar credas quod pondus utrique.
Ter decies memorant, cantu solante laborem,
Exonerasse colum. virgatis nulla quasillis

Vellera ſed poſtquam ſuperant, jam veſpere ſero,
Se Ligurina domum, baculo comitante, ferebat.
Atq; ubi compoſitoſq; Lares,glomereſq;caniſtris
Surgere ſtamineos, numeroſaque licia vidit,
Occupat amplexu natas, & laudibus ornat,
Teque probat,Colochynta,magis: favet ipſa, juvatque
Te tua craſſities: tangit vis impigra Matrem,
Gratior & pingui veniens in corpore virtus.
Non ſe poſthabitam queritur formoſa Meliſſa,
Laudatamque minùs, ſegnem quin laudibus effert
Illa novis, tituloſque ſuos extollit in illa.
Illa ſtupet de more; ſuaſque, hîc ſtrenua ſolùm,
Exorbet laudes: ſed nec bona verba Sorori,
Non facilem riſum, non quidquam grata rependit:
Vis ea deſidiæ fibris increvit opimis.
Nec longi properans ſe temporis orbita vertit,
Cum Geminas iterum accerſit Ligurina, trahitque,
Agreſtes gazas ubi Cella, legumina, ſervat.
Proxima jam partu, dixit, vicina Lycoris
Languet, Lucinæ duros ſubitura labores.
Jure ſodalitii veteris viſenda parumper
Illa mihi: vos intereà purgate legumen,
Quod latę corbes, quodque angulus ille receptat;
Diſceditque ſimul. Simul & Colochynta querelas
Ærumnoſa graves iterat: tot pondera farris,
Loliaque, & magnos ſabuloſæ lentis acervos
Devovet, indigniſque domum clamoribus implet.
Fida Soror dictis mętentia pectora ſolvit;
Erigit alloquio ſpem lapſam, animoſque reducit,
Et vacuam ceſſare jubet. Sibi ſcilicèt uni
Muneris ingrati faſtidia longa repoſcit.
Nec mora; fagineâ diffuſa legumina menſâ
Expli-

Explicat, obſcuraſque fabas, vilemque phaſelum,
Piſaque, & auſteri pallentia grana lupini,
Solantemque inopes te, lauta cicercula, menſas.
Ordine quæque ſuo quę poſtquam rite locavit,
Paulatim cumulos tenuat, carpenſque decenter
Dędaleas agit illa manus, atroſque lapillos,
Feſtucaſque leves, ſiliquas, ſtipulaſque repellit,
Et quæ, dum ſaliunt per ruſtica tecta, relinquunt
Sępiùs improbulæ purgamina fœda volucres.
Huc, illùc digitis dum dulce micantibus inſtat,
Lęvia ſuppoſitę decurrens robora menſę;
Dum globulos, glandeſque leves explorat, & illas
Delectu celeri nunc reſpuit, attrahit illas,
Paulatim adverſus, permixtus ſordibus atris,
Decreſcit cumulus; paulatim augeſcit & alter,
Lectior ante ſinus Nymphę qui ſurgit, acervus.
Anguſtas nondùm Mater remeaverat ędes,
Cum lectum ſolers, emundatumque legumen
Compoſuit; cumeris ſtatuit digeſtaque grana
Vimineis. Natas tantum durare laborem,
Tot partas & opes cunctatur credere Mater:
Obſtupet & ſecum Colochyntę in corpore pingui
Non hebetes animos. tacitis ſed plurima curis
Suſpicioſa notat. quid ſi vicinia pręſtò
Cum ſociis fuerit? Genios, nocturnaque ſpectra
Larvarum, excitas tumulis & cogitat umbras,
Atque nigros Lemures, natę qui fœdere pacto
Suppetias tulerint. poſſit quò prodere fraudem,
Siqua ſubeſt, aſſueta dolis, ſub corde volutat
Multa movens anceps, & pectore verſat anili.
Poſtera jamque dies multùm proceſſerat, orbem
Et propè jam medium Cęli ſubvecta tenebat,

Cum

Cum Ligurina brevem natas educit in hortum,
Unda laboratas ubi lactat ductilis herbas;
Tum sic orsa loqui. veteri Cerealia ritu
Rustica concelebrat pubes, affusaque Templis
Libat vina thoris, adoletque fragrantia thura.
Dum venerata Deam paulum subsisto, malignas
Hortorum pestes, prędatricesque locustas,
Atque malos viridi repentes corpore bruchos
Pellite vellentes digitis, ne turba paratum
Improba vastet olus, teneras ne sordida frondes
Abrodens populet vernantia septa, feratque
Frugibus exitium. verbum non ampliùs addit
Imperiosa Parens. Sed non tua visere Sacra,
Jactatasque faces, & agentes lampada Mystas,
Diva potens frugum, spicis redimita capillos,
Demigrat, Actęos amor est nec cernere ludos.
Quà dumis horrens, hortos obductaque sepes
Furibus accessum prohibet, densissima Cęlo
It laurus, magnâque fovens amplectitur umbrâ,
Parvula quæ facili virgulta propagine surgunt.
Hic tremulas inter frondes, ramosque nigrantes
Callida delituit; Natas audire loquentes
Scilicet, & notos vultus invisa tueri
Unde queat. Colochynta diu miserabile carmen
Nec tenuit. Nomen vah, dixit, dulce parentis,
Blanditiasque, Soror! viden ut nos subdat acerbo
Illa jugo famulas? quid enim sub pondere tanto
Nata vocer? curis expers nunc illa frequentat
Matris Eleusinæ spectacula ludicra; nisu
Nos, pecus ignavum, erucas sectamur inani.
Mene olidos, terræ curvato pectore, pronam
Vellere vermiculos? herboso gramine stratam
Cespi-

(Cespite gramineo simùl algida membra reponit)
Nec Ligurina Parens, nec, quo se Numine jactat,
Ipsa Ceres pellet, Cęlo quæ segnis ab alto
Spectat inhumanæ, nec plectit crimina Matris.
Corripit elatos animos, mulcetque protervam
Relligiosa Soror: Vanis & lædere verbis
Parce Deas, dixit; non illas lædere tutum,
Longævam reor esse pium nec carpere Matrem.
Quòd si dura piget te jussa facessere, molles
Pondera tanta ferunt nec obeso in corpore vires,
Strata fruare thoro viridi. tua ducere pensa
Si potui, lectumque manu cumulare legumen,
Spero equidem, hoc etiam duro te fasce levabo.
Abrumpitque moras omnes, habilesque lacertos
Explicat. extremę sinuosa volumina pallę
Colligit in nodum, lævaque adstricta coercet.
Pectore tunc prono, dextra ludente, per omnes
Transvolat areolas; carpitque voracia monstra;
Obscænosque greges abigit, ne dente profano
Lactentes terebrent, turpique aspergine lætas
Commaculent frondes. Cæcis Ligurina latebris
Natarum fraudes, casusque edocta suarum
Ter, quater infremuit, nec sese continet ultra;
Obstantes baculo frondes depellit, & omnes
Prosilit eluctata moras, Natamque jacentem,
Curantem tepido projectaque corpora Sole
Objurgat dictis non expectata severis.
Hancine te genui? tenera tu mollis in herba,
Desidiâ putris, Lethęo mersa veterno
Membra foves, vacuosque dies ingloria ducis?
Scilicet emaciata Soror tua munera supplet,
Immensosque feret, nec tę pudet, illa labores?
Otia-

Otia tu resupina trahis; depectit onustas
Illa colos, luteumque cicer, lentisque repostę
Seligit ingentes cumulos. Non ferrea saltem
Dejicit ora rubor? non dulcem onerare Sororem,
Despectamque piget toties illudere Matrem?
Illudis tantum? non me tua perfida, demens,
Dicta latent, non sacrilegę convicia linguę:
Ausa etiam diris proscindere Numina dictis,
Frugiferamque Deam, nostris quæ præsidet arvis.
Scilicet herboso non te de gramine Mater
Vellet, ais, non ipsa Ceres. quod segniter optas,
Hoc Dea lęsa velit: stultis precor annue votis
Frugum Sancta Parens: humilis, defixaque terræ
Æternùm jaceas; glebis onerosa recumbas,
Dedecus optatis, & pondus inutile campis.
Finierat: Sed quæ pręceps dictaverat ira,
Conditione velit nulla contingere Mater;
Seque magis falsam dictis, quàm prole carere
Vel tali cuperet. rabido licet ore merentem
Devoveat, materna tamen si corda requiris,
Abneget eventus tristes, omenque repellat:
Sed serò. lęsam ultrices nigrantibus alis
Obsedere Deam Dirę, pęnasque reposcunt.
Nimirum contra conantem dicere multa
Deficit os natam; nec pervia verba sequuntur.
Contracta in pectus paulatim vertice toto
Descendit cervix, adductaque membra rotundum
Concrescunt, & mista simul glomerantur in orbem.
Inflatas distenta genas priùs illa tumebat,
Nunc est tota tumor: vilem mutatur in herbæ
Hortensis fœtum; sed qui turgentior omnes
Plantarum exuperat fructus; color albidus idem
Cor-

Corpore qui fuerat, superest in cortice lęvi.
Interiora magis candescere cernimus; illis
Verùm nulla fides; lactis mentita colorem
Gustu respondent fatuo, frigentque palato.
Desipuit quantum veteris sub imagine formę
Desipit, inque novam torpet conversa figuram.
Demum nequa super maneant discrimina, priscum
Nũc quoque nomẽ habet; Colochyntã nomine Grajo
Namque vocant, Latiis quę dicta cucurbita terris.
Interea viduata Soror, licet ira Parentis
Deceptæ tenerum quatiat formidine pectus,
Supplicio tamen amissę, casuque Sororis
Ægrescit magis, & miseras tenuatur in horas.
Exiles artus, atque arida membra trahebat
Illa priùs; sed nunc, qualis lita sulphure tęda,
Deficit, assiduis & liquitur anxia curis.
Cumque moras traheret lõgas, Colochynta per herbas
Turget ubi pręgnans; oculis ad sidera versis,
O soboles summi non inficianda Tonantis,
Alma Ceres, dixit, meritas te vindice pęnas
Si Germana tulit, stolidis tua Numina dictis
Lędere si monitam vetui, vel redde Sororem
Exorata mihi; vel me pia redde Sorori,
Quâ piget amissâ damnosam ducere vitam.
Utraque sic cultu vario tua nomina semper,
Æternasque feret laudes; documenta rigoris
Altera nam justi prodet, felicior ipsa
Exemplum pietatis ero. Miserata gementem
Annuit, & Cęlo subrisit Diva sereno.
Ter removere pedes agiles conata Melissa,
Impressæ ter fixa manent vestigia terræ.
Auratos nuper quæ moverat aura capillos,
Venti-

Ventilat oblongas, & acuta cuspide frondes:
Quæ gracilis fuerat, trunco gracilescit inani
Usque magis; tenuem contractis arida membris
Stringitur in calamum; veteres dulcissima mores
Sed retinet latitans enodis tegmine trunci:
Sorbilis irriguo nàm nectare fistula turget,
Et stillat sapidos præmanso cortice succos.
Nec nomen veteri discedit origine; nam quæ
Dicta Melissa fuit primùm, nunc Canna vocatur
Mellea; tu primo quo læta, Liguria, partu,
Nunc, ut multa solet mutare volubilis ætas,
Commodiùs latos sobolescit culta per agros
Trinacria in magna. Quòd si Saturnia tellus
Nosse suas didicisset opes, nec cæca libido
Adderet externis pretium, satis ipsa superque
Dulcifluis dives calamis, non Indica longo
Mella Mari peteret; nec tot Gangetide fœtas
Messe supervacuas oneraret Lusia puppes.
Dulcifer acre solum Calamus, defessaque nunquã
Robora deposcit terræ: non obsita limo
Stagna colit, tacitosque lacus, non Hospite tanto
Colluvie torpente palus inhonora superbit.
Parthenias inter Nymphas pulcherrima Syrinx,
Ingenuo pulchræ quæ Virginitatis amore
Ludis ad Inachias undas fluitalis arundo,
Pace tua, Ligures pretiosior occupat agros,
Et solidæ plus laudis habet, jactatque Melissa.
Pan Deus Arcadiæ, primus tibi præbuit Auctor
Edere compactam facili modulamina cerâ.
Te, fateor, gelidi lucos resonare Lycæi,
Mænaliasque docent valles cantare periti
Arcades. Auspiciis eadem majoribus aucta
Nunc

Nunc, Tyberis Regnator aquas ubi maximus amnis
Porrigit, invidiosa colis nova Mænala, saltus
Parrhasiosque alios; alii te ad sidera tollunt
Arcades, æternâque jubent clarescere famâ.
Te quoque, Divinos assuetus promere cantus,
Nobilitare manu non dedignatus amica
Ille Orbis Columen Princeps, tutelaque præsens
Italiæ, quem tergemino diademate cinctum
Æternum sibi Roma cupit; tibi maxima laudum
Quo seges accrescit. Nimirum hoc nomine solùm
Ultro Nympha Ligur primos tibi cedit honores,
Et titulos illi satis est meruisse secundos.
Immortale decus partum si Principe tanto
Excipias, præit illa tibi. tu Carmina blandis
Pastorum associas modulis; dat fistula rores
Altera nectareos, epulisque admissa Tonantis
Una Deos epota facit. sed prisca Melissam
Sic etiam tangit Colochyntæ cura, vetustos
Et mutata licet sub pectore servat amores.

Ingenii memor illa sui, non illa Sororis
Immemor, extremam, superest quæ sola potestas,
Nunc quoque præstat opem fatuæ, succisque medetur
Ambrosiis: mensis sic nobilis esca secundis
Infertur, Regumque frequens convivia lustrat,
Quæ jacuit patriis olerum vilissima campis.

Namque aliquis tumidam ventroso pōdere frugē
Nativo primùm divellit ab ubere glebæ,
Dimidiamque secat; sævit per viscera ferrum,
Nobiliùsque gravi victuram vulnere cædit.
Corticulam tenuem abradit; mala projicit exta,
Convulsos tergitque sinus, æquatque secando.
Membra repurgatis bis ter sed candida postquam
Eni-

Enituere fibris , partes diffindit in æquas,
Et puris demergit aquis; namque ante paravit
Alba Faentinum finxit quem testa catillum
Rore gravem gelido. post multos roscida soles
Segmina nimirùm sensim tenerescere discunt.
Quæ bibulo postquàm gremio madefata liquores
Inductos hausere, ferunt nec putria tactum,
Prægnantem lymphis Cuprio tunc ære lebetem
Admovet ille focis, & puris injicit undis
Mellifluos dulci quos traxit arundine succos.
Fervet ubi, bullisque fremens exultat ahenum,
Huc segmenta jacit dissectæ mollia frugis.
Cognatos latices fibras admittit in imas
Paulatim exugens; avido trahit ore liquentes
Illa favos, multamque bibit Colochynta Sororem.
Sed crebro postquàm penitùs concrevit ab haustu,
Deserit undantem concham, nec tempore longo
Nacta leves auras dulcem durescit in escam.
Hac primùm, mendax nisi fama, ab origine nata
Hyblæo resides irritat nectare fauces
Turgida Sacchareis condita Cucurbita succis.

FA-

FABULA *De tormento Bellico*.

CARMEN II.

I, pete Tartareæ latebras, Bombarda, cavernæ,
Et natale Chaos; nam te, Plutone Magiſtro,
Hydrorum felle, & ſpuma viridante Draconum
Eumenidum finxere manus: inde eruta terris,
Exitiale malum, Cœlo flammantibus alis
Subruis obſtantes arces; & murmure rauco
Pluſquam imitare Jovem, rapidis ſiquando ſagittis
Caucaſon, & cæſis depreſſit Gargara ſilvis.
Ite procul meſtæ, totoque abſiſtite luco,
Pierides; non iſta choris modulamina veſtris
Apta reor; non ignivomis reboare metallis
Theſpia Templa ſinam: reddant Cocytia tales
Antra ſonos; nigrique Palus lætetur Averni.
Eſt Regio, pigro Lethe quà pallida fluctu
Explicat umbroſis diffuſa papavera ripis,
Taxeaque horrificis laſcivit ſilva capillis,
Panditur hìc rigidæ crudelis Regia Mortis.
Indociles flecti ſtipant immania muros
Oſſa, lacertorum exuviæ, calvæque rigentes,
Concretus cruor, & nudatis albida coſtis
Buſta, profanatiſque ſtrues effoſſa ſepulchris.
Mille rigent circum necis inſtrumenta; ſagittæ,
Tela, faces, & ſævarum patula ora ferarum.
Hìc labat, & fremitu horribili vincla aſpera mordet
Ventorum vis clauſa ſinu telluris, in auras
Quæ jacit exciſas cæco luctamine turres.
Induit infrænos animos tunc Terra, rebelli

Impete diſſiliens; adapertique ore profundo;
Horrendum!, montes, Erebique furentis hiatus
Admiſere diem: ſęvit tùnc pontus ad aſtra
Percitùs, aſſuetas atque indignatus arenas,
Proluit attonitos ignota aſpergine campos.
Hinc inimica leves agitant incendia pennas;
Urbibus ingluviem cęcam ſedare ſepultis;
Nec niſi depaſtis furor eſt miteſcere ſilvis.
Illis Æolio ſocium ſe lictor ab antro
Plurimus agglomerat; ſtridor, gemituſque ſequuntur,
Segneſque à tergo cineres, & fumea nubes.
Luctiſoni videas, & ſerò ſupplicis ora
Naufragii; Ionio in magno fallacia vota
Cum tumulant Nautæ; ſontes cum picta laceſſit
Relligio, primiſque timor periturus arenis.
Quid referam, quantis non exaturabile Bellum
Faucibus abſorptas Urbes, & ſtrata receptet
Regna? quid innumeras clades? aut gutture quanto
Potet inexhauſtos humani ſanguinis amnes?
Explicet hanc quamvis Libitinæ Regia pompam,
Et lethi variis ſtipetur Curia formis;
Illa tamen, vacuâ veluti regnaret in aulâ,
Turpe fremit; curiſque gemens liveſcit amaris.
Angitur, immenſum pedibus quòd feſſa per Orbem,
Una Deas inter curru viduata, feratur.
Nec parcit rabidum virus furiata querelis
Evomere, & ſævis incendere pectora dictis.
Terrarum quonam uſque vias ſpatiata, mariſque
Ægra ferar? rapido contendere littora curſu,
Nudatoſque pedes Libyæ telluris arenis,
Aut Scythico torrere gelu, proh dedecus! ultra
Non patiar: non ære latus, non ilia ferro
No-

Noſtra rigent. Cybele fulvos invecta leones
Si curru jungit; pennis ſtellantibus ales
Junonis ſi fræna ſubit; formoſa Dione,
Si te Chaoniæ rapiunt per inane volucres;
Cur non acta rotis, Cœlo ſublimis aperto,
Invehitur, nulloſque regit Libitina jugales?
Non ego commerui, properato ingloria greſſu,
Innumeras peragrare plagas, fluit undique rivis
Cui ſudor, celeres & pulſat anhelitus artus.
Has retuli neglecta vices; hæc præmia nobis
Proveniunt indigna, meis quòd Numina telis
Inſtruo. lethifero quæ fulmina Jupiter ictu
Ejaculat, mea ſunt; meus eſt, qui nubila findit,
Exitium ſtragemque ferens mortalibus, ignis.
Torva mihi Pallas debet, quâ fulgurat, haſtam;
Mars mihi fatiferum Chalybem. ſi noſtra repoſcam
Scilicet arma Deos, Superûm vileſcet inermis
Majeſtas. volucrem currum Rex Juppiter axe
Circumagat; ridebit iners ſine fulmine Cœlum
Gens hominum, & nullis metuenda tonitrua pœnis.
Altius aſſurgit ſed quò mea ſumma poteſtas,
Et mea me titulis virtus majoribus effert,
Acrius hoc livor ſtimulis inceſſit amaris
Degenerem inceſſu, ſordentiaque arva prementem.
Non ego ſed Regni, laudumque oblita mearum
Iſta feram: celeres, mea gloria prima, Miniſtri,
Excidium, Squalor, Strages, Incendia, Virus,
Vos mihi Carpentum Artifices, ſedemque curulem
Condite; quam lætus maculoſis tigribus Ævan,
Gradivus quam vectus equis, quam Jupiter ipſe
Invideat; curruſque velit mutare ſonantes.
Nec mora ſanguinei. Lictores juſſa capeſſunt

Numinis implacidi. ſed non tua, Mulciber, antra,
Solicitant; Fratres non eſſeda ferrea poſcunt
Æthnæos. Tenebris horrens ubi, Dite profundo,
Vallis inhorreſcit, penituſque in cæca recedit
Tartara, terribiles fornax hic pandit hiatus
Ignea; ſtridenti vomit indefeſſa bitumen
Gutture, Tænareaſque pices, & ſulphura viva.

Huc ſeſe properi rapiunt; primùmque nigrantem
Certatim invadunt ſilvam, nigraſque cupreſſus
Devolvunt ferro, validiſque bipennibus inſtant.
Robora tum cuneis findunt, axemque volucrem,
Cum temone jugum, & curvamina nexa rotarum
E docili ducunt ligno; radioſque cavatis
Orbibus includunt, & celſa ſedilia fingunt.
Poſt, ubi ſæva vomens fornax incendia fervet,
Approperant; Acheron ferri nigrantis arenas
Quas tacito trahit amne, legunt; Stygiumque caminis
Injiciunt chalybem: ſimul extitioſa venena
Vipereis miſcent Furiarum expreſſa capillis.
Tres Canis inferni morſus, tria ſibila Lernæ,
Saxificæ obtutus operi tres Gorgonis addunt.
Quæ poſtquam permiſta ſimul fornace liqueſcunt
Flammivoma; fluidos rivos, æriſque metalla
Excipiunt formâ, tereti quę ducta canali,
Oblongo bibit æra tubo, penituſque recepto
Obſtruit imbutas torrenti flumine rimas,
Exaturatque ſinus omnes, cæcaſque latebras
Dimenſo tegit allapſu. micat ænea moles,
Ortaque vix clades horrendaque funera poſcit.

Per latus omne riget, duris oneroſa metallis,
Fiſtula prægrandis: ſummo patet orbita dorſo,
Anguſto caveas quæ ducta foramine in imas
Per-

Permeat: hinc subitas, admoto fomite, flammas
Viscera concipiunt; reddunt simul æra fragorem
Terrificum. medias tum quà via facta per auras,
Innumeræ exiliunt pestes, lateque sonantem
Dant stragem. trepidos non propugnacula muros
Tutantur, non scuta viros, non culmina Turres.
Impulsi circum saltus, collesque resultant,
Fumiferæque diem rapiunt post omnia nubes.

Hanc fœtam jaculis immani pondere molem
Imponunt famuli curru; mediisque rotarum
Asseribus, certoque gravem libramine nectunt;
Et ferri valido defixam robore firmant.

Non procul hinc tetras humeris nigrantibus alas
Obscænosque ungues, & turgida colla moventes,
Informes aderant Diræ: flagrantia præsens
Ardor corda subit, ferratos ducere currus,
Et crudele decus pœnæ ostentare repertæ.
Accelerant geminæ medioque hinc, inde Sorores
Accipiunt temone jugum; cervicibus altis
Luxuriant, pexisque micant ad fræna colubris.
Lora capit plaudente manu Libitina, gravemque
Inscendit Currum: medium per Tartara cursum
Molitur; Cœlum demùm tumefacta revisit,
Perrumpitque diem. plaustri portenta, trucemque
Dirarum faciem refugit perterrita tellus;
Aura tremit; fontesque metù, silvæque recedunt.
Illa minax, resonante globo dum funera mille
Dispensat, laceris nunc diruit oppida muris,
Obvia vulnifico nunc proterit agmina plumbo.

Rex Superûm vasti feralia murmura currus
Audit cum gemitu: sua nempe tonitrua vinci
Infremit, atque suos levius sævire lacertos.

B. ALOYSII GONZAGÆ
Cordis Anatomia.
CARMEN III.

SIquis amat, faveat; ſiquis non novit amorem,
Nunc ſaltem mutatus amet. tractabile ferrum
Si redit, & ſubigi patiens fornacis ab alvo,
Quæ renuant, lapidoſa licet, licet ærea corda
Ponere duritiem, ſenſimque haurire recentes,
Vel ſemel inſpecto Gonzagæ corde, favillas?
Tu mihi (namque tua juvenis cor cuſpide ſectum eſt)
Pande viam, Cœleſtis Amor; nervoſque ſonantes
Non Phœbi plectrum, jaculum ſed pulſet amoris.
Exuerat Gonzaga diem; placidaque jacebat
Nocte, fatigatos veluti componeret artus.
Vivere deſierat; vultu ſed mortis in illo
Nil erat; aut vultu ſi quidquam eſt mortis in illo,
Vita vel invideat tam pulchra Inſignia Morti.
Extemplo, pennis liquidum per inane citatis,
Agmina Virtutum, Pueri decora alta perempti,
Exiliunt: pulchra ſopitum morte cadaver
Quà jacet, approperant: ſtudio certante feruntur
Corporis emeriti in prædam; partemque requirunt
Quæque ſuam. pronos velata Modeſtia vultus
Illuſtris pugnæ, quis credere poſſet?, arenam
Prima tenet - nam, quæ pudibundâ fronte latebant
Lumina bina, rapit; ſpoliiſque ſuperbit opimis:
Scilicet & ſtellis numerum, & jubar addere Cœlo

Co-

Cogitat illa novum. pallâ ſpectabilis albâ,
Pectoris invicti non exuperabile robur
Occupat alma Fides: nullâ ſua figere ſigna
Clarius arce putat. flammis incenſa modeſtis
Ora Pudor tenuit, Pudor almi cultor honeſti;
Nomina ſi deſunt, color eſt Virtutis in illo.
Fronte ſuper nivea violę pallentis honores
Rorantes & adhùc lacrymas Metanœa legebat.
Illa licet triſtem vultu teſtata dolorem,
Non benè diſſimulat magnæ nova gaudia prædæ;
Et męſtam viſa eſt paulum deducere frontem:
Nec gemitu, mirum!, rigat ora madentia; fletu
GONZAGÆ rapto, lacrymarum oblita ſuarum eſt.
At, quæ virgineo gemmabant lilia vultu,
Parthenidos manus invadit; Sociiſque nivalem
Oſtentat florem, & fragrantia munera jactat.
Sed victas ſpoliis ingentibus illa Sorores
Dum putat, & longos metitur corde triumphos,
Æmulus ecce aciem tenuit novus. ęthere ab alto
Se medium pharetratus Amor, fulgentibus alis,
Intulit; &, Tantam, dixit, componite litem,
Illuſtres Animæ: quòd ſi rapit æmulus ardor
In prædam; magniſque juvat certare rapinis,
Cedite ſponte mihi: Superâ benè notus in aulâ
Scilicet eſſe reor: ſtudio certatis inani;
Nam Puer hic, meus eſt; multum mihi juris in illo,
Imperiique fuit. veſtras, decora inclyta, prædas
Nec tamen invideo, mihi nec prærepta repoſco;
Quamvis noſtra putem, & quæ jure repoſcere poſſem.
Quæ rapuiſtis adhuc ultro ceſſiſſe paratus,
Tantùm corda peto, Juvenis notiſſima telis
Corda meis; ſocium non illa admittet in aula

Impatiens conſortis Amor. non plura locuto
Aſſenſere omnes; nam quis non cedat Amori,
Qui, dum corda petit, tantum ſua regna requirit?
Nec mora: dum teneras jaculo perrumpere coſtas
Pectoris ille parat nivei, prædâque potiri,
Sponte ſua exiliunt flammantia corda, rapaces
Prævertuntque manus. Domini ſenſiſſe putares
Vota ſui. motis, optato munere lætus,
Plauſit Amor pennis. madidas tùnc rore cruento
Ore legit guttas, & mille per oſcula tergit.
Nec vidiſſe ſatis: juvat imas noſcere fibras,
Arcanoſque aperire aditus: nam corda receſſu
Noſtra latent longo; nulloque profundius antro
Condit opes natura ſuas. dum talia volvit
Divus Amor; telum, quo non præſtantius ullum
Spargebat placidas humeris fulgentibus alas,
Educit pharetrâ: cordi tum dirigit ictum,
Attollitque manum, & jaculo labente minatur.
Siſte: quid immites arcus, & fortia tela
Perdis in extinctum? ſatis eſt, dum vita manebat,
Hunc jaculis patuiſſe tuis: jam parce minari;
Atque tui ceſſent, vitâ ceſſante, furores.
Quamvis nil ſupereſt, tantus jaculator in illo
Quod tu corde petas: periit jam mille ſagittis;
Nec locus ullus adeſt, quò tu nova ſpicula tendas.
Hanc tibi ſi jaculo pergis proponere metam,
Vulnera ſola petes. Sed non exterritus ille
Torquet atrox telum, & cordis penetrale revelat.
Qualis Paſtor Arabs dura ſi forte bipenni
Scindit odoratum fruticem; de cortice ſecto
It ſudor campis; &, quæ prius aura latebat,
Implet odora nemus; læſis à vulnere ramis

Ma-

Major honos, ſciſſoque venit nova gratia trunco.
Vulnere non aliter magno patuere repoſtæ
Cordis opes. imis arcana latentia fibris
Rimatur jaculo, penituſque latentia nudat
Divus Amor. tenerum hoſpitium non lędere cordis
Miratur flammas: puras innoxius ardor
Complexus fovet uſque nives, & creſcit in illis.
Numinis extincti in medio venerabile Nomen
Sculpitur, & radiis ſeſe fulgentibus effert.
Virginis inferius ſeſe puriſſima produnt
Nomina Nazaridos; fibriſque inſculpta niteſcunt.
Sed circum varios Virtutum imitata colores
Hinc, illinc radiant ſimulacra. vireſcit opacum
In ſmaragdum rebus ſemper Spes lęta futuris:
Sed mores niveo referunt conchilia partu
Virgineos: bene firma Fides adamante ſuperbit.
Ignivoma claros imitantem luce pyropos
Se quoque vidit Amor: ſpeculo non pulchrius ullo
Miratur, fruiturque ſuam ſplendeſcere formam.
Non ego quę ſacris ſeſe penetralibus auras
Excludunt, referam, & divini veris honores.
Hæc ubi divus Amor teneri miracula cordis
Luſtrat, & intentos oculos per ſingula verſat,
Nunc ſolùm, dixit, ſi diſcere poſſet, amorem
Diſcere poſſet Amor. ſic fatus nobile furtum
Attollit dextrâ; meritos vulgatque triumphos;
Victriceſque movet Cęlo jactantior alas.

MAR-

MARMORUM CERTAMEN
PRO URNA
B. ALOYSIO GONZAGÆ
STATUENDA;
Dum eidem Nobilissimum Sacellum in Templo S. IGNATII *erigeretur.*

CARMEN IV.

GONZAGÆ Cineres, de te quæ sola superstes
Pars terras dignatur adhuc, postquam altera Cælum
Purior incendit flammis, & luce serenat,
Pergite in augustū Hospitiū, monumentaque pompæ
Divitis, & magno Manes laxate Sepulchro.
Ecce peregrinis moles operosa metallis
Occurrit Cœlo. sublimior Ara reposcit
Exuvias, GONZAGA, tuas; damnatque vetustas
Marmoris angusti latebras, urnamque minorem.
Jam mihi centum Operis fervent tabulata: Myrones
Æra manu excudunt, Polycleti marmora, doctas
Nobilior telas jam vivere cogit Apelles:
Artificum Tumulo labor omnis sudat in uno.
Vos etiam (neque enim humanis expertia curis
Esse reor) pulchro rapuit discordia motu,
Marmora; gliscit amor, studio certante, locare
Scilicet æternam spoliis ingentibus Urnam.

Tu

Tu modò (Agenoreas cinxerunt mœnia Thebas
Si Tyria modulante lyra; si ad plectra Cytheron
Repsit, & auritæ saliere ad carmina cautes)
Phœbe, fave: neque enim Dircæo audacia plectro
Nostra minor, celsum Gonzagæ attollere bustum,
Marmoraque ad sacros Cineres rixosa ciere.
Ipsa mihi primùm claræ fundamina molis
Tęnareos aditus, & caligantia Regna
Irrumpant. propiùs Gonzagæ sentiat Urnam
Orcus; inextinctas paveat post funera clades;
Antiquos cinerum exuvias spirare triumphos
Noscat; & exanimes non degenerare favillas.
Mox ubi firma suis radicibus enatet ingens
Machina; & inculti lapides, cęmentaque circum
Prosiluere; rudes incomptę molis acervos
Velificata colorato de Marmore Lesbos
Vestiat, & totis Ephyre famulata metallis.
Hìc nitidos attrita sinus, atque aspera signis
Marmora inocciduam ducant per vulnera vitam.
Ergo, vel longos referant sulcata canales;
Vel labyrinthæis in se foliata recurrant
Mæandris, flexuque undent Anaglypta recurvo.
Ampla renidentes dein fascia marginet Ædes.
Hìc super extantes, vivoque è marmore nati
Colludant Pueri; manibusque plicatilis erret
Zona, coloratis flores imitata racemis.
Floriferos nexus peregrinaque poma tuentes
Alternus teneat stupor; ostendantque vicissim
Marmoreum Autumnum, & lapidosi veris honores.
Deliciis ubi non sedes, si Marmora molles
Vertimus in flores, si cautibus advena regnat,
Discit & in duris ver luxuriare metallis?

Sed

Sed qua parte triumphalem ſinuoſus in arcum
Erigitur cameratus apex; hìc multus inundet
Aureus, & tecti laquearia lambat Hydaſpes.
Quin & Apellęa redivivus in arte, triumphos
Explicet hìc GONZAGA ſuos. torrentibus auctus
Hic, dum Ticinus rapido rotat impete currum
Semirutum, & laſſos male ſuſtinet unda jugales,
Ducat inoffenſos vada per ſpumantia greſſus,
Implacidæ ſecurus aquæ GONZAGA: rotarum
Nempe vices pius amnis agit, Puerumque veretur,
Pulchrior & mediâ pudibundus ſubſtitit irâ.

Parte alia, mitem blando dum pectore noctem
Excipit; & torvo furibunda incendia lapſu
Corripuere thorum, teneros placabilis artus
Vulcanus fugiat: placidæ ad nova pabula flammæ
Dediſcant iras, admirenturque jacentem.
Quamvis, quam flammæ peterent, pars corpore in illo
Nulla fuit: totos pridem conſumpſerat artus
Igne ſuo divinus Amor; meliore crematur
Vulcano pectus; facibus mortalibus uri
Detrectat; flammas dedignaturque minores.

Sed Cinerum exuvias dũ cõdere Marmora certant,
Diſſidio caluere novo. ſpectabilis Urnæ
Urit amor; gelidiſque agitant incendia fibris.
Ambitioſa ruunt; quæ Tęnarus, Ida, Caryſtos,
Quæque dedit lapidum Sparte duriſſima venis,
Dura viris: adſunt Thebanis eruta campis,
Et Cilicum ſucciſa jugis; maculoſus Ophites,
Et guttis virgatus Onyx, quibus Oebalis ardet
Purpura, vel Tyrii vellus liveſcit aheni.
Omnibus unus amor GONZAGÆ ſacra verendo
Oſſa fovere ſinu; & tantos procumbere in uſus.

Mo-

Molis adoratæ primos sibi poscit honores
Niliacum Marmor. turres, æquataque Cœlo
Culmina Pyramidum jactat, molesque superbę
Mempheos, & saxis miracula nixa vetustis.
Namque lapis, cui longus honos servare potentum
Relliquias cinerum, & splendescere funere Regum,
Mantöi Juvenis meritò sibi vindicat Urnam,
Qui claris Regum titulos natalibus ęquat,
Sed virtute præit. quid curet inania Lagos
Nomina? quid vasto Pharaones condere busto
Turgeat Ægyptus? potius miseranda videri
Illa queat; frustra, tumuli radiantis honore,
Dum tegit obscuros, cruciant quos Tartara, Reges
Stultum est, insanos cineres attollere Cœlo,
Quorum animas niger Orcus habet: solamina luctus
Ista putes miseri, aut cineres sentire sepultos?
Ergo novas meritò Memphitica Marmora laudes
Affectant: Juvenem stimulat pulcherrimus ardor
Condere, sidereum Juvenem; qui cladibus Orcum
Usque novis domuit, non victima, Victor Averni.
Quò spes tanta, recensque vocat fortuna, sequuntur,
Priscaque Pyramides detrectant funera Regum
Ferre humeris, Phariisque pudet servire Tyrannis.
Præriperentque locum Tumulo: sed Caria litem
Saxa movent; paribusque simul conatibus obstant.
Ecquid opus, dicunt, vano certamine rixas
Fervere? Mausoli celebrat quæ Fama Sepulchrum,
Artis opus miræ, nullisque imitabile curis
Artificum, hæc eadem nobis, Cineresque tueri
Fama pios præstat, dubiæque Insignia palmę.
Nam fidas quæ fida magis tegat Urna favillas,
Edita quàm saxis, quæ jussit Regia Conjux,
Con-

Conjugis extincti populis ævoque futuro
Æternam narrare fidem ? discordia finem
Sed nec tanta tenet: patrias depromere laudes
Nec cessant lapides alii: pugna inclyta surgit.
Candida sunt? niveos imitantur candida mores
Marmora GONZAGÆ. nativis ignibus ardent?
Ignea succensi cordis testantur amores.
Et suus est atris splendor, pretiumque, decusque,
Stirpis adoratæ nam despicientia fastus,
Atque extincta notant humanis pectora curis.
Sed varios miscent quæ picturata colores,
Illustris Pueri nimirum corde sub uno,
Virtutum nexus, sociataque fœdera monstrant.
Continuate diu felices, Marmora, pugnas.
Dissidium illustre, & certantes Urna meretur
Vel lapidum curas. illam violæque, rosæque,
Perpetuique omnes decorabunt veris honores.
Assyriæ messes, Nabathæaque balsama circum
Sudabunt; omnes exhauriet illa Sabæos.
Tuque etiam demum, quocumque è marmore surget
Scilicet Urna recens, vocalem cornua buxum,
Calliope, & magno plectrum suspende Sepulchro.

B. ALOY-

B. ALOYSIUS GONZAGA

In Littore Hispano lapidem invenit, CHRISTI DOMINI *vulneribus figuratum. Per eadem tempora Granadillus*, vulgò Flos Passionis *in Hispaniam primùm advectus.*

Prædicti Floris, & Lapidis Metamorphosis.

CARMEN V.

OCciduî quis Floris honos, quo littore crescant
Ætherei Lapides insculpti vulnera Regis,
Expediam, non visa prius miracula. Terris
Gratulor Hesperiis, non divitis ubere glebæ
Ire Tagum; flavis juga non pallentia gazis.
Æstimet arcani tellus Hispana lapilli
Si pretium, auriferos contemnet protinus amnes;
Impensaque velit lapidem meruisse Pyrene.
Nobilis Occiduas tendit Mercator ad oras
GONZAGA: inventi Puer hic miracula saxi
Objiciat Liguri, multùm cui Castore dextro
Navis detecto rediit gravis Orbe. Columbo
GONZAGAM liceat, Lapidemque opponere Mundo.
Splendidus Hesperiã tendebat Ephœbus in Aulam
GONZAGA Ausonio de littore: nobile quando
Servitium pars est generosæ stirpis, & ipsas

Ambitio est titulos inter numerare catenas.
Sternebat placidos, magni ceu conscia Tetys
Depositi, fluctus: quamvis audacia ventis
Nulla foret miscere undas; componere posset
Illico quas oculis GONZAGA. sed improba ponti
Quòd cesset rabies, frustra est: incautus acerbum
Naufragium ipse sibi est, sibi sęvior ipse procella.
Nam quę transfixi collo pendebat amico,
Numinis effigiem, dum celsa incertus oberrat
Puppe super, rapuit sinuoso vortice, furto
Unda superba suo. cecidit cum Numine merso
Spes omnis Juvenis. fluitantem gurgite vasto,
Quod superest, oculis sequitur, longùmque requirit
Effigiem: simul in præceps non segnis in undas
Addere se socium flagrat; sed nobile votum
Destituit natura; gravis nam vulnere fortis
Corpore diriguit toto; nec vivere credas,
Sola revelaret miseram nisi lacryma vitam.
Interea, placidis navim pellentibus auris,
Turba hilari clamore tenet jam nautica portum;
Amissum GONZAGA dolet. taciturnus arenas
Littoris Hesperii lustrat; clausumque dolorem
Libertate domat. Cæcas obversus ad undas
Quà scopulis medium latrat Mare; Reddite, dixit,
Reddite crudeles mea pignora, reddite, fluctus.
Oceano si furta placent, tot classibus haustis
Gaudeat, & magnis liceat sævire rapinis;
Nil moror: haud equidem nostras invadere tantus
Debuerat Prædator opes: ingloria merces
Illa mari; pretiosa mihi, cui cognita merces.
Rite vocat cæcas undas, cæca æquora vulgus,
Si, quas ignorant, furor est avertere prædas.
Quod

Quod rapuit, pelago non eſt tenuiſſe ſuperbum;
Arcanos furti nam non intelligit uſus.
Reddite crudeles mea pignora, reddite, fluctus.
XAVERIUM haud diſpar olim jactura premebat,
(Et meminiſtis aquæ reor, & memorare poteſtis)
Spumoſum per iter ſumma ſed Cancer ab unda
Reddidit effigiem: Eoæ nunc Tethyos arva
Laude tument pulchra, & ſervatæ nomine prædæ.
O utinam! Occidui, quas cernimus, æquoris undæ
Æquoris Eoi laudem, & documenta ſequantur.
Reddite crudeles mea pignora, reddite fluctus.
Vix ea: cum gemitu cadit exarmata potenti
Ira maris: magni jam pœnitet æquora furti;
Et veniam vaſto, quod poſſunt, murmure poſcunt.
Rapta ſalo effigies imi convalle profundi
Hæſerat: affixam circum fluitantis arenæ
Congeries viſcoſa tegit, ſabulique tenacis
Durities lutulenta: fidem niſi lumina fallunt,
Nobilis informem in lapidem dureſcit Imago.
Sed, mutata licet, veteris veſtigia pœnæ
Servat adhuc: patulo cautes rimoſa meatu
Numinis extincti depromit vulnera: mirum!
Unica pœna patet; ceſſerunt cætera ſaxo.
Ergo, quod Pueri triſtes meruere querelæ,
Prodigioſa ſilex pelagi ſuper enatat imis
Vallibus; æquoreoſque diu ſpatiata per agros,
GONZAGÆ demum, fluctu deducta fideli,
Concidit ante pedes. novit, (quis fallat amantem?)
Ille dolos pelagi; &, Multùm tibi gratulor, inquit,
Effigies, redeas quòd ſaxea. Marmore in iſto
Concolor ipſa mihi es. duro ſunt pectora ſaxo
Aſperiora mihi, ſine te qui ducere vitam

Sustinui. tu tandem, oculis benè cognita nostris,
Sis liceat lapidosa, redis; mea pectora, longo
Dulcior exilio repetis. tibi reddere formam
O utinam! veterem liceat: præstare quod opto
Sed dudum, sit vasta licet fiducia voti,
Conabor lacrymis. hæc fatus gurgite largo
Irrorat silicem. pluvius dum decidit imber
Caute super rigida, extemplo, mirabile dictu,
Mitescit Marmor; molles seseque resolvit
In glebas: incisa silex qua parte Tonantis
Vulnera monstrabat, sacram, ceu cortice secto,
Excludit florem: sed qualem surgere florem
Vulnifico decuit saxo; cui sola dolorum
Semina, cui soles suspiria sola fuerunt,
Quem lacrymis solùm cultor GONZAGA rigaret.
Nativo lapidi non dissonat ille; suæque
Ingenium telluris habet. Si vulnere multo
Scribitur ingeniosa silex, vernantia pandit
Frondibus ille super necis instrumenta nefandæ;
Flagra cruenta, vepres, sitibundam sanguinis hastam,
Spiculaque, & multo rorantes sanguine clavos.
GONZAGA attonitam nova per miracula mentem
Huc, illuc versat. Domini pendentis imago
Nuper facta silex, versa nunc sorte, fragrantem
Vertitur in florem; atque habuit quæ vulnera primùm,
Servavit cautes; nunc floris imagine servat.
Divus Amor Puerum sic ludere pergit amantem;
Ingeminatque dolos. Divini germina floris
Demetit ille manu; primùm qui grande viretis
Addidit Hispanis nomen; nec tempore longo
Nobilis Italicos cessit Granadillus in Hortos.

DE

DE OBITU
B. ALOYSII GONZAGÆ
Inter Officia Charitatis.
CARMEN VI.

Perge laborantem vulgato funere Romam
Invicta reparare manu, Gonzaga, triumphis
Immoriture tuis: rutilantis adorea lethi
Te manet, & claræ non mendax gloria palmæ.
Nam nulla de cæde licet tibi nobile funus
Immadeat; tamen immites æquare secures,
Palmìgerasque inter dabitur radiare phalanges.
Sospes ab exitio Gonzagæ munere, tandem
Desinat Etruscis clarum te, Scevola, flammis,
Et servata suos mirari Roma Camillos.
Impavidum pectus non tanto robore cinxit
Curtius, immanes ausus telluris hiatus,
Par Urbi Civis, propriâ saturare ruinâ,
Et Romæ supplere rogum. Permessidos undas
O quæ virgineæ colitis, Cyrrhamque Sorores,
Gonzagæ meritis inspergite floribus Urnam;
Et super exuvias Cinerum, castasque favillas
Fundite Castalios, vivacia balsama, rores.
Supplicio Gonzaga sui tenuatus amoris
Fortè salutares haustus, & rura petebat
Frondea; quà Cœli clementior aura Latini
Hortorum tractu viridi discriminat Urbem,

Et finit ingentem paulum rarescere Romam.
Substitit ad veteres arcus, mirantibus astris,
Tollit ubi aereos apices, annosque lacessit
Disjectum saxis immanibus Amphitheatrum.

Non ille insano nubes intrantia nisu
Marmora, & æternis æquantem sæcula saxis
Miratur tacitus molem. mens ebria Cœlo,
Quidquid mortale est, jam longo despicit usu;
Et, dum fastidit Romæ miracula, vincit.
Ille stupet sacro turgentes sanguine latè
Christiadûm horrentes cautes, & conscia saxa,
Magnaque servantes vestigia lambit arenas.
Sanguineo Heroum palmæ de rore madentes
Occurrunt animo, atque, Utinam! nos illa tulissent
Tempora, dicebat; rabies cum sæva Neronis
Victrices acies plaudentibus adderet astris.
Forsitan aut aliquas nobis Hyrcania tigres
Pasceret horrificis adytis; aut sanguine nostro
Africa monstriferæ pœnas lactaret arenæ.
Felices animæ, quas Cœlo impendere vitam
Vidistis, Libyæ hospitium implacabilis, antra
Marmaricis ululata feris. O marmora claris
Splendida suppliciis! celsos non arte Magistra
Crediderim attonitis eductos nubibus arcus,
Plaudere sed lætis certant dum saxa triumphis,
Sponte sua Cœlo, reor, exiliisse; coronam
Quod poterant, duro silices de marmore formant,
Fitque ipsum invictis Ducibus diadema Theatrum.
Tigribus hæc statio: Massyli hæc antra leones
Implebant, Libycæ crudelis gloria silvæ:
Densatis circum cuneis hìc pendula Roma
Sordida clamoso libabat gaudia Circo.

Hic

Hìc Nero cryſtallo fędam viridante ſolebat
Fallere barbariem; cladis cum ſæva voluptas
Ipſas torqueret læta ſub imagine pœnas.
Non ſatis eſt miſeros artus doluiſſe; dolores
Laſcivire jubet: nullis ſaturata libido
Stragibus, humani generis per funera, ludit.
Te primum caveæ informes, & ſaxa loquuntur,
Ignati, quem terribiles laſſare leones
Et riſiſſe truces vix credidit Africa mortes,
Languentem ſenio, canoſque in bella ferentem.
Nos pudeat primæ ceſſare in flore juventæ,
Dum ſegnes Ævo indecori traducimus annos.
Felix ſorte pari, quàm lætus ſanguine noſtro
Getulæ ſtillare feræ patula ora viderem.
Per latus hoc, utinam!, cuſpis ferrata cruentum
Quærat iter; Cæliqúe vias mucrone recludat.
Vix ea fatus erat: Cœlo cum nube curuli
Vecta acies rutilat. præclarum Inſigne gerebat
Victrices manibus palmas; incenderat auras
A tergo flammata chlamys; quæ ſanguine pulchro
Illita, Sidonio pluſquam de Murice fulget.
Purpureum nitidis qui nubibus agmen agebat,
Sidereæ flammis Ignatius ardet Erythræ.
GONZAGAM affatus mox talibus ora reſolvit.
Nequidquam Libyæ rabiem, votiſque laceſſis
Marmaricas GONZAGA neces: ſine ſanguine noſtras
Æquabis palmas: clarum tibi funere nomen
Roma dabit, victura tuo de funere Roma.
I, propera; quà te fera per contagia torvo
Sæva flagro Libitina vocat: ne quære Leonum
Ora, Puer; mediâ tibi naſcitur Africa Româ,
Et Romana novi fuerint tibi buſta Nerones.

Finierat dictis; Cœlo cum roscida nubes
Subripitur, sulcoque viam lactente colorat.
Tristior interea tabes, & lethifer annus
Incubuit Latio. non prodest triste bitumen,
Idęasque pices, vivumque incendere sulphur:
Pæonios succos, & odoriferam Panaceam
Irrident morbi, vanasque Machaonis artes.
Funereis passim glomerata cadavera plaustris
Arva, satis effæta, gravant; metuenda colonis
Fertilitas. non afflatu privata nocenti
Funera, sed populos metit illætabile virus.
Ultima visa Ceres perituris oscula culmis
Figere, dum refugis horrescunt arva Colonis.
Verùm ubi, morborum dira comitante caterva,
Crebrescit Libitina magis, populataque lentæ
Agmina corripiunt febres; & pallida letho
Urbis inhorrescit facies; GONZAGA catervas
Per medias sibi quærit iter, confectaque prensat
Agmina. mortali mœrentia pectora tabe
Nunc levat alloquio; Cereris nunc dona ministrat,
Et gratos Bacchi latices, frugesque paratas
Inserit ipse manu labiis languentibus escam.
Ipse rudes sternitque thoros; atque aspera tactu
Lintea, carbaseosque manu concinnat amictus.
Non piget ignito per stragula molliter ære,
Ductilibusque fovere focis frigentia membra,
Dum spatiata thoros oculato lamina ferro
Dimensos ciet ardores, aurasque tepentes.
Non piget è mediis sublata cadavera campis
Sustentare humeris, positisque inferre sepulchris.
Nec mora, nec Juveni requies fuit ulla laborum;
Intima contractum donec per viscera virus

Serperet, & rabido venas incenderet æſtu.
Illum Divus Amor ſpoliis illuſtribus auctum
Suſtulit ambroſiis elatum ad ſidera pennis;
Agminibus palmas & ritè gerentibus addit.

ANNIBAL
In Italia Victor, & Victus.
CARMEN VII.

QUantus ab Heſperiæ populis, & littore Mauro
Cuſtodem Italiæ vallum, inconceſſaque clauſtra,
Atque indignantes veſtigia preſſerit Alpes
ANNIBAL; Auſoniam quantâ tremefecerit haſtâ;
(Si patriis Dux ille dolis, & fraude ſuperbus
Fraude tua cecidit; poſitiſque inglorius armis
Dedidicit Martem, tenerorum cultor amorum)
Concine Tyrrheni Maris inſidioſa voluptas,
Dulcis pœna ratum, placidiſſima concine Siren,
Parthenope: Ductorem infidum infida ſequatur
Muſa; ſua Pœnus laudari poſtulat arte;
Perjurum perjura ſonent & plectra Tyrannum.
Occiduum bello poſtquam pacaverat Orbem
ANNIBAL, Heſperiis victor remeabat ab oris.
Edomiti non ille Tagi, non ille Sagunti
Flagrantis memor: aereas jam cogitat alpes,
Nubiferumque apicem; in Tiberi ſpes vaſta natabat;
Italia ante oculos, & toto in pectore Roma eſt.
Jamque minæ ſcopulorum ingentes, rupis anhelæ
Jam nemorale ſupercilium, & nudata patebat

Perpetui formido jugi; jam cominus alpes
Nubibus immistę, & Cœlo capita alta ferentes
Ante tubas Libycas, & Punica classica, dirum
Omnia ventorum indicunt per murmura bellum.
Immanes cautes, Cœloque minantia saxa
Prospectat pavidus, quis crederet?, ANNIBAL, & jam
Damnabat patrii tacito sub pectore famam
Atlantis; risitque sui miracula mundi:
Et sociis, Virtus, dixit, Maurusia cedit
Si Latię; quantùm noster minor Alpibus Atlas
Noscitur; iratis Superis, atque omine lęvo
Tendimus Italiam. verùm hæc præsagia, Mauri,
Ne trepidate: pares si non habet Africa montes,
Pectore in hoc, socii, majores cernitis alpes;
Has nulli superare datur. nec plura loquutus,
Getulo obstantes silices Elephante repellit,
Dilaceratque iter: indociles calcarier arces,
Edurasque moras laudat; nec mitia mallet.
Invitum tamen, atque jugorum dura petentem,
Quis credat?, mollis sequitur via. namque superbos
Molitur quacumque gradus, tremefacta recedunt
Saxa metu; & pavidæ expectant vestigia cautes.
Nec chalybis duri rigor, aut medicatus aceto
Vulcanus molli docuit mansuescere cultu
Marmora; sufficiens illos erat ignis in usus
Ira Ducis. jussa impacati Principis audit
Obsequiosa silex, & saxis saxeus ipse
Imperat. aeriæ jamjamque cacumina rupis
Primus habet: Latiam bello ceu protinus Urbem
Posceret, ille ruinosi in fastigia clivi
Emicat, & magnâ Italiam conterruit umbrâ.
Semifer horrenti talis Centaurus ab Ossa
De-

Desilit, heu quantus valli timor! attremit omnis
Silva metu; & pavidi fluctus glaciantur Enipei.
Dicite, quæ rupes habitatis, Oreades, arcis
Imbriferæ, quanto salierunt pectora motu?
Quæ fuga? dum vetus hospitium, sacrosque recessus,
Ludentumque choros, montanaque sacra profanat
Advena Gradivus? dum tot lassata metallis
Reddere Barbaricas Echo negat Itala voces;
Nec responsuras invitant classica valles?
Tunc primùm tonitruq;, & fulminis igne trisulci
Scissa dies cladis rubuit præsaga futuræ;
Indixitque nefas. non territus omine Ductor
Marmaricus; Bellum laudo; placet ira sinistris
Formidata Deis, tantoque, ait, hoste timeri.
Magnum est, ò Socii, quidquid tentamus, Olympo
Invito: vestris armis Saturnia tellus
Curetur, jubeo; & læsum mihi linquite Cœlum.
Hæc ait: impatiensque moræ, jam valle receptus,
Et domitas animis spirans immanibus alpes,
Frendentem Libyam Ænotrios effundit in agros.
Nec Latiæ cessant acies; nec celsa Quirini
Undabant vexilla procul: jam cominus umbræ
Quadrupedum ingentes, cristæ jam Consulis, & jam
Non Cœlum, sed Roma tonat. bella, aspera bella,
Sanguineumque diem vitreo præsagus ab antro
Viderat Eridanus. flagranti spumeus irâ
Immugit ripis; &, qua se fronde coronat,
Quassat arundineam concusso vertice silvam.
Cæruleos mox ille specus, penitusque repostas
Undarum caveas, & arenas anxius imas
Pervadit; veteres Phaeton ubi dente superbo
Mordebat pœnas, & adhùc crudum à Jove fulmen.
Tunc

Tunc ait: Infelix Auriga, quid otia perdis
Degener? O ſedes iterum viſure ſupernas,
Amiſſumque diem. patrios, Puer improbe, currus
Fataleſque inſcende rotas; præverte ruinas
Auſoniæ; Mauris jamjam peritura favillis,
Occidat igne tuo; liceat Cœleſtibus uri
Ignibus: hæc habeat Phaeton incendia ſolus;
ANNIBALI pars nulla vacet. mitiſſima tellus
Concidat; exciſis procumbant Mœnibus Urbes;
Flumina deficiant, &, quo non ſuſpicor alter
Latiùs exundat, me primùm corripe: totam
Nil moror Heſperiam cæcâ conſume favillâ;
Et miſeras Libycis raptoribus eripe terras.

Ille refert contra. terræ quonam uſque nocentis
Exigor in pęnas? Superûm quis credere poſſet,
Ut miſeris votum, Phaeton, mortalibus eſſet?
Heſperiam pudeat, poſt terræ funera, noſtras
Reſpexiſſe manus, & mendicare ſecundum
A Phaetonte diem. ſed tu ſcelerare ſepultum
Parce, precor, mundique reas tentare favillas.
Nec Libyę fragor, at Tyrii te cura Tyranni
Solicitet. Cyclopei ſi fulminis ictu,
Et toto cecidit Phaeton Jove; Numinis illum
Majoris vindicta, manetque potentior arcus;
Et jaculo, cecidit quo Juppiter ipſe, peribit.
ANNIBALI Padus, Heſperiæ placidiſſimus amnis,
Liris erit. Trebiæ non ille in littore tantùm
Nec poterit, Thraſymene, tuas ſævire per undas;
Sæviet imbellis quantùm poſt Liris in illum.
Occidet Oenotriæ terror; teneroque ſuperbum
Donabit fluvio nomen; merſuſque profundo,
Victa vocet lituis reſonantibus Africa quamvis

Tota

Tota Ducem, summa nequidquam enabit in unda.
Gentibus exemplum, serisque annalibus ibunt
Eridanus, Lirisque simul; populosque docebunt,
Alter tela Jovis quid possint, alter Amoris.
    Hæc fatus, repetit glacialem fumeus urnam.
Interea ærata pubescere messe Gradivi,
Et cristis fluitare comantibus Africa campos
Erudit Ausonios. crebris jam pulsibus agros
Æripedes feriunt, hinnitu & prælia poscunt.
Jamque corruscantes attritis cautibus enses
Luce nova rutilas addunt mucronibus iras,
Fulgoresque truces, & dotant lumine mortem.
    Ticini primo maduerunt sanguine ripæ;
Alternatque vices Trebia, & sociale secundat
Fœdus, inæquales ripas, amnesque remotos
Romanæ, pudeat!, jungunt commercia cladis;
Et quasi tot cinerum exuvias, umbrasque vagantes
Itala ferre simul non posset Terra, paravit
Manibus ingentes, geminatis amnibus, urnas.
    Sed Cinerum non ulla quies; sub gurgite longùm
Nec jacuisse datum: bellatrix unda sepultos
Ejaculat; Tyrios Romana cadavera in hostes
Projicit; & pugnant pro Roma funera Romæ.
Ac veluti cæsorum iras furiasque cadentum
Induerint amnes, exercent spumea cornu
Bella; ferox Latios ulciscitur unda timores;
Et Trebia armatus pavido pro Consule pugnat.
Utque olim celeri Xanthus congressus Achilli
Rorantes galeâ fertur tersisse capillos;
Non aliter clypeique armant, galeæque natantes
Ticinum, Trebiamque: fremunt in prælia ripæ.
Illos terrificæ properantes turbine cædis,
Dimi-

Dimidiosque artus, trepidantiaque arma ferentes
Horruit Eridanus; solitosque intrare meatus
Oppositis vetuit metuenda tributa lacertis.
Busta super vidui circum volitastis olores;
Lacryma nec cessat viridum pretiosa Sororum.
  Interea Libycum Ausoniæ per viscera bellum
Evolat; & longè Tyrium tremit Umbria Martem.
  Tu modò Romulea Thrasymenũ clade tumẽtẽ,
Disjectasque Aquilas, & casus pande Latinos,
Nympha lacus; quamvis fama est, nemora avia cursu
Te, Dryadumque sinus, & inhospita tesqua petentem,
Ad sonitum Libyci sedes mutasse Gradivi.
Pro vitreis altas coluisti sedibus ornos;
Et peregrina metu de Najade facta Napæa es.
  Sithonio fabricata gelu, vitreisque columnis
Conspicienda domus, latum spatiosa per Orbem,
Tollitur; adducti credas laquearia ponti.
Perspicuæ lucent glaciali cardine valvæ:
Ante fores densa strictæ caligine crines,
Pervigilant nebulæ; muscoso vellere fornix
Naturę manifestat opes, sinceraque dona;
Nam neque Sidonio pumex corrumpitur ostro,
Nec bibulus Phrygio violatur Marmore Tophus.
Sede super vitrea, & calamo Thrasymenus agresti
Assurgit: viles quantò sed tutius olli
Excubias pręstant algę, & fluitalis arundo,
Quàm formidatis acies clypeata Tyrannis.
Cęruleum caligo caput, nebulęque madentes
Involvunt; niveis canescunt pectora setis.
Urna capax lymphę gremio dispensat aperto
Illimes latices; concham fugitivus in amplam
Humor abit. si te surgentem hęc unda tulisset,
Pura

Pūra magis, Cytherȩa, fores: hoc gurgite nata
Dardanii cunas dedignarere profundi.
Errantes circum mergi, fuliceque paluſtres
Cȩruleo madidas diſtendunt nectare pennas,
Æſtivumque bibunt ſolem; ſtant frugea circum
Arva, & adulta Ceres fluitantibus undat ariſtis.
Sed Cereri ſacros rabidi ferrata Gradivi
Diluvies populavit agros. Bellona flagellum
Sanguinolenta rotat; Latiumque haurire cruorem
Dat Libycis, Romam dudum averſata, ſagittis.
Jamque Quirinales per prata rigentia ferro
Errabant Aquilȩ; Thraſymeno & judice, poſcunt
Ulciſci Trebiam, & fatum tentare ſecundum.
Fortè ſupercilio clivoſi tramitis undas
Spectabat, Thraſymene, tuas, Martemque futurum
ANNIBAL; & nitidi periturum fontis honorem,
Fortunamque lacus ſociis lugebat amicis.
Iſque ubi Romulei procul increbreſcere murmur
Agminis, & magni proſpexit ſigna Quirini,
Riſit; & excuſſa ter caſſide, torvus in hoſtes;
Quȩnam ſpes Latii, poſtquam ſuperavimus alpes,
Poſt Trebiamque; cruentati poſt bella Ticini,
Nunc etiam tentamur? ait. Sic notus ad undas
ANNIBAL Heſperias? nondum ſatis Itala tellus
Sidonio ſub Marte gemit? nova flumina fruſtra
Obſtruitis: noſter non gurgite miles in ullo,
Poſt Trebiȩ ſubſiſtet aquas. defendite Tibrim,
Quem Libycis domitum galeis haurire paramus;
Votorum levis eſt Thraſymenus meta meorum.
Pacatum ANNIBALEM, mihi dum fortuna ſuperſtes,
Vitaque, deſperet Miles Romanus: ad urnam
Nos etiam, & ſeros cineres odia iſta ſequentur.
Quas

Quas nunc, Roma, times, Pueri juravimus iras,
Ante aras, testesque Deos; in damna Quiritum
Vagitum ANNIBALIS, lacrymasque armavit Amilcar:
Cunarum votum est, Latios odisse, mearum.
Dixit; & in medias acies de vertice montis
Terrificum excussit jaculum; potuitque videri,
Quam pressit, de rupe Tonans; Romana Gigantes
Agmina Phlegræi si tunc potuere videri.
Sæva ferens belli præsagia, stridula in hostes
Fraxinus effugit: rapidis petit obvia pennis
Armaque, pectoraque, & longâ lassata ruinâ,
Funeribus consumpsit iter, rabiemque nocendi.
Punicus interea Ductor descendit in agros
Bello damnatos, expectantesque furentem.
Hic verò elatis videas concurrere signis
Marmaricas acies, Libycorum & pelle leonum
Instratos Numidas, fuscosque Hyperione Mauros,
Massylosque sagittiferos. feralibus armis
Ut tegat Italiam, naturæ sede relicta,
Africa in hos campos descendit; nuda colonis
Stat Libye; & paulùm respirat Cælifer Atlas.
Ut verò elisus lituis crepitantibus aer
Infremuit, resonasque tubæ feriere cavernas,
In Martem saliere animi. stat tristis Enyo
Sanguineâ sordens pallâ, lentosque furores
Increpat, & stimulos animis ardentibus addit.
Spicula Massylæ primùm vomuere pharetræ.
Protinus obducto nubes it ferrea Cœlo,
Subripuitque diem; Latias mox impete vasto
Desilit in turmas; atque indignata repulsas
Umbonum crates, duplicisque repagula ferri,
Cuspide lethali vivos depascitur artus;
Pe-

Pectoribusque supinatis affixa quiescit.
O tristem Ausoniæ, & quem postera sæcula vellent
Ignorare, diem, & claros cælare Nepotes!
Dedecus oh, Gradive, tuum, probrumque! Quiritum
Terribiles animos, domitis quos fata laborant
Gentibus, & victo Dominos imponere Mundo,
Martis ad aspectum Libyci fortuna fugaces
Degeneresque videt, signisque errare relictis,
Dedecorum viles emptores. Punicus armis
Ista gerit, jugulo Romanus prælia miles;
Altera pars dirum patitur; gerit altera bellum.
Non procul Ausonios videt inclinare maniplos
Flaminius; videt acta retro vexilla, nec illum
Fortunæ placuisse diem, vanosque timores
Increpitans; Fugite; Annibalemque ad mœnia Romæ
Ducite victorem, dixit; Capitolia Pœnis
Pandite; Tarpejum nec formidate Tonantem.
Promptum iter ad Latium, vestigia vestra sequutus,
Hostis habet; qua parte petat Capitolia, discet
Romanâ monstrante fugâ. quas miles in oras
Tendis iners, Vestam æternam, Martemque parentē,
Et titulos oblite tuos? vos obvia apertis
Expectat reduces, sed non sic, Roma lacertis.
Quòd si dura piget, me Consule, munera Martis,
Discere; disce mori. hæc fatus, perrumpit ahenos,
Certus in exitium, cuneos: sed sanguine multo,
Quod poterat, gladiis sua funera vendere Mauris,
Est animus; multâque necem dotare ruinâ.
Ille tegit totam ferratæ cuspidis umbrâ
Planitiem. rutila de casside nobilis irę
Magnanimum exspumat virus; nec vincla coercent
Ferrea anhelantes ultra thoraca furores.

Infe-

Infelix, poteras de tantę mole ruinę,
Hoc Duce, vel nullo, servari Roma. sed illum
Marmarica multum de cęde, suaque madentem
Lethifer heu tandem somnus, supremaque nubes
Obruit. haud ulli jaculo tumuisse relictum est
Funere de magno: fati si quęris acerbi
Authorem, quę se claravit sanguine tanto,
Privati non illa Ducis, nec militis hasta,
Sed Libyę pugnantis erat: quę vulnere fausto
Contremuit; mediâque pavens impalluit irâ
Tam faciles dare lęta Deos; votique peracti
Pęnitet; & Superos exhorruit ipsa secundos.
Nam nec fata Ducis Latii privata; nec unum
Flaminium cecidisse putat; sed credidit ipsam
Collabi, supraque Ducem procumbere Romam.
ANNIBAL eventu Martis, fatisque secundis
Ebrius horrentis celso stetit aggere campi,
Circum torva tuens: stillat gravis hasta cruentis
Roribus, & telis clypeus silvescit ahenis.
Mox ait. Hesperiam edomitam, Tiberimque subactum
Gratulor huic ensi. juvat alto è culmine rerum
Metiri quàm magna cadat Regina potentis
Imperii. ad Trebiam nostros lusisse furores
Crediderim; his campis toto descendimus ense
In jugulum Italiæ. ęternis Latium tegat umbris
Ista dies. clari quamvis nos ęmula mordet
Gloria Flaminii: quo victo an clarior ille,
Qui vicit, fuerit, victor pene ambigit ipse
ANNIBAL. hìc finem tantis nos credimus armis,
Nec pia victores renuent Capitolia Pęnos.
Quòd si bella placent rursum, & nova pręlia tentat,
His habeat similes precor, o Fortuna, catervas,
Dis-

Dissimilem sed Roma Ducem. Sic fatur: & auctum
Sanguine Romano Thrasymenum, agrosque natantes
Ostendit sociis. oculis victoris iniqui
Ipsa placet largæ feralis pompa ruinæ.
Trunca, profanatisque inhumata cadavera campis,
Seminecesque artus, gemitusque, iręque cadentum,
Visceraque in mortem luctantia, grata superbi
Pabula sunt oculo victoris. vulnera siqua
Grandem hastam, magnæque fatentia cuspidis ictum
Offendit, laudat; seseque agnoscit in illis,
Attollitque animos: quantùm diversus ab illo
ANNIBALE, edomita quem mox Carthagine, dulci
Extorrem patria, peregrino in littore nudum,
Per latos Asiæ populos, per Regna, per Urbes,
Quærere Romanos hostes fortuna videbit.

Interea Trebiam insontem, mitesque furores
O Thrasymene tuos, nuribus trepidata Latinis,
Et Latio reddunt feralia nomina, Cannæ.
Fortuna geminante nefas, ibi visa perire est;
Ast hic Roma perit: nutavit cladibus illis;
His jacet. expectant trepidis Capitolia saxis
Victorem implacidum: Tarpeja nudus in arce
Juppiter ad Libyci pallebat fulmina Martis.

Sed non passa diu Latium sterilescere nomen
Alma Venus. fatum Iliacum, multusque recurrit
Gentis amor Phrygiæ. non illa horrentia castra
ANNIBALEM contra, nudoque minacia ferro
Agmina, sed tenerum, quis crederet?, armat Amorem.

Nec mora: solicitę Proles alata Parenti
Obsequitur; veteremque nova sub imagine formam
Dissimulat. quantus petiit ferus astra Typhœus,
Crescit, & ingenti mentitur mole Gradivum.

Approperant peregrina humeris fulgentibus arma
Sponte sua; gladiusque, manu cessante, volentem
Involat in dextram; galeę tum lucidus orbis
Obnubit frontem. potuisset ferrea cassis
Illico, crediderim, tenero mollescere tactu;
Sed duram poscebat Amor. decet ira protervum;
Implacidusque placet: clypeo tamen altiùs illum
Sudantem ingenti, & non aurea tela moventem
Fratres riserunt pharetrati, & conscia Mater.
Hac specie ANNIBALEM Puer in certamina poscit.
Convenere pares. magnis memoratus uterque
Cladibus; exitialis, atrox, infidus uterque:
Utque Duces inter discrimina nulla supersint,
Alter pugnabat jam lumine cassus adempto,
Alter cęcus erat. vibratis jamque pharetram
ANNIBAL enudat jaculis; sed ferreus imber,
Oblitus nocuisse, truci blanditur Amori;
Ventilat & tremulis frontem, non vulnerat alis.
Iratum quoties, (dictu mirabile) ab arcu
Effugit telum, mediâ sed protinus hostem
Discit amare viâ. Sed jam fatalia contra
Subdolus arma movet Puer. exitiabile telum
Dirigit, & medio victor sub corde relinquit.
Irrequieta furit magicum per viscera virus;
Depascitque ferox fibras; miserumque pererrat,
Nescio quid, superat quod mortem, & vita vocatur.
Labitur, infelix jaculoque beatus eodem;
Iraturque simul, fuerit quòd victus; & ipsum,
Quòd sit victus, amat: laudat sua vulnera, & odit;
Vulneris authorem simul & collaudat, & odit;
Quodque novum est in clade, placet Victoria victo.
Verùm ubi Victoris galeâ patuere reductâ
Insi-

Insidięque, dolique, & se cognovit amantem,
Palluit; & Romam mutatus amare, tremiscit.
Dein supplex; Nullas, Victor mitissime, dixit,
ANNIBAL insano leges in Amore recusat;
Sed Latios odisse vacet: vetus ira triumphat
Usque adeo, & tantus fibras insedit Amilcar.
Interea victum, quæ pugnę præmia, molli
Ipse manu nudabat Amor, spoliisque superbis
Quadrigam gravat, & fulgentibus induit armis.
Axe super galeę, Martis captiva supellex,
Horrebant; placidis & lascivire sagittis
Discit inoffensi mansueta ferocia ferri.
Luxuriat ferratus apex: circum esseda pendent,
Exuvię irarum ingentes, horrentia tela,
Cingulaque, & totum vestit victoria Currum.
Nectareis circum pennis volat agmen Amorum;
Nec modus, aut manibus vastas tractare pharetras,
Aut formidatę metiri cuspidis hastam.
Jamque triumphalem captivo vertice bigam,
Et fulvo sequitur laqueatus colla metallo.
Marmarici quæ forma Ducis! non ille minaci
Ex Elephante furit: saturum non clade Latina
Torquet atrox gladium: Cyprio fluit ebria nardo
Cæsaries; & adhuc sordentem pulvere belli
Assyriis frontem tergunt opobalsama succis.
Vincere vincendo dediscit: nulla supersunt
Argumenta Ducis Libyci: victoria victum
Ipsa facit. cineri redeat si vita, negarent
Flaminii Manes, Trebięque inhumata Juventus
Victorem jam nosse suum; vix nosceret ipsum
ANNIBAL ANNIBALEM; tantùm mutatus ab illo est.
Illum degenerante gradu carpenta sequentem

Victoris Pueri, Tyrrheno è littore vidit
Parthenope; extremâque procul ſubriſit in undâ;
Nec parcit plectro, & cantu comitatur euntem.
Ille, tubis ſaturas, teneris dat cantibus aures;
Dulichiamque ratem, & fugitivum penſat Ulyſſem.

Bethlemicis Infantibus

EPICEDIUM

CARMEN VIII.

ET potuit Cœlo Titan conſidere tanti
Spectator ſceleris? nec deteſtabile monſtrum
Devovit trepidante fuga, noctemque minatus
Ferre Thyeſteam? rutilans Auriga diei
Viderit hoc ſine nube ſcelus? tumeatque protervum
Tam claro de teſte nefas, caligine multa
Quod merſum, nullaque ſatis quod nocte lateret?
Sed tibi quæ ſpolia, aut quantus, Libitina, triumphus
Obſcura de clade fuit? ſi ſanguine Medo,
Et laceris piger exuviis tibi fumat Araxes;
Si tegis Actiacum Pharia de ſtrage profundum;
Et ſi Roma (pudor) manibus lacerata Latinis,
Impiat Æmathios cognato Marte Philippos,
Parcimus ingenio, atque ultro hęc tibi crimina dono;
Infantum de clade queror. non enſibus enſes
Oppoſiti, paribus non tela minantia telis.
Quæ pugnæ facies, ubi ſævi juſſa Tyranni
Pars nudis peragit gladiis, pars pectore nudo!
Ecquis erit tandem belli pudor? aſpera cunas
Bel-

Bellona irrumpit. quanto quæsita paratu
Infantis vindicta fuit? quot cladibus emptum est,
Victorem puduisse sui? Pelopeia cedat
Mensa, Agamemnoniis toties lacrymata Mycœnis,
Et numero superatus Itys. nil tale Procuste
Hospitia, aut stabula Odrysii videre Tyranni.
O Superi, reliquos satis est odisse nocentes;
Herodem nescire juvat. lactentis inermem
Vagitum Pueri ferro, flammisque requirunt,
Et mortem innumerę mortes perduntur in unam.
Sed mihi jam tacito trepidant in vertice lapsu
Insontes lauri. placidissima sanguine tingi
Non ego serta sinam: textum ferale coronę,
Tristibus apta modis, nectat mihi fronde maligna,
Efferaque infelix comitetur bella cupressus.
Nox erat: antra Leo, fessus petit ostia Messor
Virgea; per scopulos Thetis acclinata recumbit;
Et juga pacatum simulant Alpina soporem.
Tu quoque, Idumæi parent cui culmina Regni,
Otia lentus habes, curas oblitus amaras,
Invisumque diem. pretiosum lana veternum
Dives alit: custos capiti tamen accubat ensis
Asper, olorinis & poscit prælia plumis;
Tranquillum Herodem ne vel sopor ipse videret.
Barbarica vigilata manu, velamina dites
Obducunt somnos: Thalamo spatiatur eburno,
Et Tyrio ambitiosa quies lascivit in Ostro.
Illum indulgentem tenebris, noctemque supinam
Proflantem, tamen assiduis circumvolat alis
Regum, Cura, flagrum. Morsu nam sceptra maligno
Suffodiunt mentem; & fellis potabile lethum
Sacra sitis Regni patera gemmante propinat.

Regi dura quies. Letheis oblita lymphis
Membra gravant secura thorum; sed turbine nigro
Somnia dilacerant animum. nam visa per umbras
Bethlea de rupe Cedrus se tollere; nasci
Non his digna plagis, quas tu, Rex torve, teneres.
Margine quæ vasto terrarum dividit umbræ
Hospitium geniale; comisque superba serenis
Explicat innumeros, tollitque ad sidera ramos.
Autumnum tanto sese sobolescere fœtu
Miratum, plantasque ferunt odisse minores.
Nam neque Atlanteis talem vigilavit in hortis
Hesperius coluber; nec, post implexa viarum,
Alcinous reduci similem monstravit Ulyssi.
Parte alia (leges non servant somnia) Regnis
Visa prophanatis decedere Numina. terga
Vix credit Fortuna sibi vidisse Deorum.
Pulsa Papho, Cyproque Venus, Phrygiique recessu
Verticis, Idæis adytis incendia pallet,
Atque iterum Trojam: Corybantia protinus æra
Turritam siluere Deam: non Thracia Marti,
Nō Rhodope dilecta: minax prope Strymona languet
Biga, catenatoque gemunt temone Jugales.
Non felix Junone Samos; nec Apolline Delphos
Turget; & Inachium Nilus lacrymatus Osirim,
Barbara nequidquam muto vocat agmina Sistro.
Cecropias clypeata fugit Tritonia turres;
Et Bacco tu, Nisa, minor, clamataque longè
Non hilarem fremit unda Deum; sed præpete cursu
Ripas, Hebre, tuas, edera moriente, salutant
Mænades; & fractis damnabant Orgia thyrsis.
Quin delubra Parethoniis innixa columnis,
Et Stygio simulacra Jovi devota, ruinâ,

Quâ

Quâ meruere, cadunt. ignis populator in unum
Aggerat infandas incisum elephanta figuras,
Perspicuasque nives, & nigras corticis Indi
Addit opes, liquidamque nova fornace Corinthum.
Æra natant flammis: passim resoluta liquescunt
Numina adoratę rubiginis: ignis opimis
Ditatur spoliis; mediisque opulentus in arvis
Stat cinis; imbellesque probant incendia Divos.
Emoriens toto luget sua funera Mundo
Barbaries; omnique perit damnata metallo.

Hęc inter, placidam vox importuna quietem
Impellit; dubios fallunt nisi somnia sensus,
Antipatri vox Patris erat: Pete mollia, dixit,
Otia, fœmineis melior regnare choreis.
Usque adeo pudet esse virum? Sic prælia misces
Degener, ignavæ noctis fortissimus Heros?
Eluctare moras tepidas: novus imminet Urbi
Hostis, & ex ipsis meditatur funera cunis.
Hunc fore, cui merito obsequio domus utraque Phębi
Pareat, & terris fugiant quo prisca relictis
Numina, sacrorum memorant Oracula Vatum.
Cladibus indormire juvat? Superestne fugatis
Qui posset languere Deis, Mundique ruinam
Expectare thoro? cedant Gynecæa; Tyrannum
Indue; ne trepida Superos; Cœloque minanti
Herodem oppone: invisi tibi germinis ortus
Nunciat alta Cedrus, patulis quæ sidera ramis
Occupat, & medios fastigia jactat in Euros.

Finierat dictis. primùm stupet ille; refixo
Mox implet mucrone manum; jam jamque superbam
Tollitur in Cedrum, votoque trucidat; at ensis
Irritus in thalami conopea peccat eburni.

Nutavit ſtructura thori; tentoria ab ictu
Intremuere; jacet Phęniſſæ ſaucia lanæ
Purpura, & intexti męſtûm crepuere ſmaragdi.
Saucius haud aliter Lucano cominus apro,
Cæca petit ſpelæa canis; perque avia luſtra
Infremit, & morſus in robora torquet inanes.
Cladibus interea ſcelerandum Aurora futuris
Tollebat de Gange diem. exitiale Tyrannus
Concilium, Proceresſque vocat; queis, nomine pulchro
Regis & Imperii, petitur privata poteſtas.
Convenere. Sedet ſolio Regnator eburno
Arduus, Oebalioque nitens diſcumbit in oſtro.
Majeſtas olli metuenda: ſevera minaci
Stat fronti nubes; heu quas paritura ſagittas!
Ora tegit pallor, ſed formidandus; & aulæ
Anceps turba, Jovis quam pluſquam mille timeret
Fulmina. Tænaream talis Rhadamanthus ad urnam
Attonitis dat jura reis: timet anxia turba
Terribiles oculos, properataque tartara mallet;
Ille diu fruitur lacrymis; gaudetque timeri:
Ad Styga mox adigit ſontes, pœnaſque minores.
Jamque Palęſtinæ Moderator perfidus aulæ,
Quo tumuit gravis igne, tonat: de more Tyranni
Nullam verba Fidem ſervant; omnique ſolutus
Relligione, Deum Solymę, Romanaque miſcet
Numina, & Iſacium peregrino ſępè Tonantem
Cum Jove componit: ſincero vivere cultu
Abnuit; & ſola Fidei farragine gaudet.
Sævior inde animo furor, & veſania dictis.
Arma, inquit, ferimus; pluſquā mortalibus arma
Digna odiis; impacati queis palleat Orci
Janitor, & nigri Pater indignetur Averni.

Ne

Ne trepidate scelus; neu causas quærite belli:
Magnum est, ò Proceres, invito quidquid Olympo
Imperat Herodes. jam non Mavortis aheni
Loricata seges, Parthoque timenda fugaci,
Mœnibus incumbit; Syriæ non cæca pharetræ
Tela vomunt, volucresque neces; non æmula virtus
Euphratis laceram complet clamoribus Urbem.
Belli meta, Puer, patriis cui multus ab astris
Est animus; nostramque petit populator Iduméen
Gradivi non ille rudis: tumet aspera multo
Ense manus; mistumque haurit cum lacte cruorem.
Non secus Alcides, teneris bullatus in annis,
Lernæam colubris jugulatis terruit Hydram.
Notus & ipse Pater Divûm; cum parvulus aulâ
Luderet ætherea, didicit tunc prima ciere
Fulmina, inexpertoque polos agitare lacerto.
Non mihi, Oronteus quateret cum mœnia miles,
Occubuisse datum; pulchram per vulnera mortem
Oppeterem; & magno periissem authore ruinæ.
Stant aliâ mea fata colo; tantumque sinistra
Invidit mihi Parca diem; nunc funeris infans
Causa mei. heu quali servastis, Sidera, dextræ
Hanc animam. sed tu, Regnator summe Deorum,
Aspicis hęc? nec tela moves, ignave? cavernas
I, pete Caucaseas: falsò te stultus adorat
Orbis; odoratâ frustra tibi multus acerrâ
Fumat Arabs; cæsisque rubent altaria tauris.
Sed tenues magno dignari fulmine cunas
Crediderim puduisse Jovem: fors perdere in illas
Tela putat. Sed tu, ni Cœlo vindice langues,
Me, cade: sum satis, ut pereas: te ferreus agger
Ambiat; oppositi te protegat ætheris umbo;

Non dabitur murus profugo: si stagna profundi
Ima petes, quæsito etiam rapiere profundo.
Interea, quæ lacte tument, cunabula ferro
Diripite, & fontes ad Tartara pellite partus.
Palletis? nunc laudo scelus: placet ira, Ministris
Quæ venit metuenda meis. quò vertitis ora,
Romanâ obliti dissecta papavera virgâ?
Ogygias quanto fœdarunt sanguine Thebas
Oedipodionidæ? quamvis de paupere Regno
Certatum. dubio firmavit sceptra Tonanti
Saturnus fugiens, patrioque exclusus Olympo;
Et genitor, non hostis erat. cecidere bimembres
Ossæi; at sperasse polos pars magna triumphi est.
Sic Deus ipse, manu vigili quem temperat, Orbem
Fulminat; ille licet nocturnâ sæpius irâ
Ferveat; in medium regales cum sua dextræ
Vibrent tela diem. quamvis liquet haud satis isto
De Jove. adoratas deliria credimus aras,
Plebejosque metus: soli sunt Numina, Reges;
Hos genuit Natura Deos, quibus unica vultu
Imperat ambiguo major, Fortuna, potestas.
Fama, pudor, probitas, & inania nomina, leges,
Privati, fateor, sunt laus jejuna: negatâ
Regnantes juvat ire viâ: jus, fasque, pudorque,
Gloriaque, atq; Orbis pereat, modò Regna perennent.
Quid liceat, nescire juvat; licuisse Tyranno
Credidimus, quæcumque libent: hos Numina calles
Ipsa docent: Jovis exemplo peccare decorum est
Præcipitate moras: date funera, Tartara vestris
Quæ pudeat prærepta odiis, quibus ipse tremiscat
Arbiter Umbrarum, & doleat sua crimina vinci.
Dixerat. ast illi truculenta ad bella paratas
Por-

Porrexere manus; & vota immania laudant.
Immoderata sitis jam sanguinis incidit, & jam
Agmina partiti subeunt: scelera ipsa Tyrannus
Ordinat; & duros æquato Marte labores
Ceu peterent, turbæ prædâ, spoliisque peremptæ
Sævitiem ignavam, vilesque exsuscitat iras.
Primus sanguinea se Tessaranamphus in hasta
Metitur; Mater quem legerat Eumenis, atro
Torva sinu; Stygiâque artus duraverat undâ;
Indomitosque dedit ferro: properata sed igni
Illum fata manent. Umbonis crate superbit
Artimedon; rabidas multa cui tigride fibras
Dira parens, calidique insevit felle Draconis.
Phlægræos inter dignus consurgere fratres,
O Periphas, truncam tendebas, arma, cupressum:
Te flagrantem odiis, atque hispida tela moventem
Pallas, & Æmonia risit Gradivus ab Ossa.
Addunt se socios Maratho, Brontesque, Dricasque,
Hirtacus, exertisque ferox satis unguibus Orgon.
Sed toto major se tollit vertice Phorbax,
Accinctus ferro mediis subsidere silvis
Suetus, & ad certas per noctem surgere prædas.
Exercere dolos doctus, miscensque rapinis
Funera, Grassator multos transegerat annos.
Nùnc rabiem elisis Puerorum faucibus explet;
Tectaque devastat silvis Urbana relictis.
Non ego te demum Trispa cum fratre, Bimalcar,
Prætercam: jugulum quorum prior hauserat ense
Maternum, mediâ raptamque reliquit arenâ
Singultantem animam, saniemque ex ore vomentem.
Tertia sacrilego sed cæsa Bimalcare conjux,
Dum tua mentitus dulcissima munera, Liber,
Pocu-

Pocula tabificis miſcet vitiata cicutis.
Convenere, domo vel quos gravis ira Novercæ
Expulerat, vel perjuræ malefidus Amicæ
Nudatos ejecit amor: quos cæca libido
In ſcelus omne trahit; quos alea perdidit anceps;
Solaque pro magno quibus eſt audacia cenſu:
Atque iterum peccare, diu didicere nocendo.
Ergo, ſanguinei ducunt quò juſſa Tyranni
Impia, corripuere viam; penituſque latentes
Explorant aditus, nudiſque bipennibus inſtant.
Aſt ego,quæ rerum facies,quo ſanguine primùm
Bethlæi tepuere lares; triſteſque querelas,
Interdumque iras, & funera miſta parentum,
(Mens licet indignos caſus meminiſſe refugit)
Et ſeriem incipiam lacrymatæ evolvere cladis.
Prima rudimenta, & ſcelerati victima belli
Prima cadit, Jonadad; nutricis cura, parenti
Omnia Terſillæ ſimilis, vultumque, coloremque,
Impubeſque genas, flavoſque in vertice crines:
Iam blando poterat riſu cognoſcere matrem
Parvulus, atque rudes terræ defigere plantas.
Te, Puer, ante fores, memini, dum virgeus ambit
Carcer, & anguſto frænat veſtigia gyro,
Viderat, heu! Phorbax; & ferro ferreus inſtat:
Sęve nimis, Phorbax, & qui non ſanguine ab iſto
Inciperes. oculos jamque ille in morte natantes
Allevat, & matrem ſuprema in luce requirit.
Extinctam ſobolem trepidis rapit illa lacertis;
Et, medio gemebunda Foro, ſingultibus auras
Nequidquam pulſans; ut ſe tulit obvia matrum
Turba, cruentatos Pueri lactentis amictus,
Vulneraque oſtentans; Male tuta reviſite tecta,
O So-

O Sociæ, dixit, postes occludite ferro.
Obsessas non hoste vias, capulosque minantes
Cernitis? in thalamum nos pronuba duxit Erynnis;
Sulphuraque arserunt nostris Cocytia tædis.
O ter felices, steriles quæ ducitis annos;
Nullaque lugendas fecerunt pignora matres.
Hoc gemitu concussi animi; gelidusque per omnes
It timor; & charos strinxere ad pectora partus.
Non aliter, si terga pati Neptunia jussus,
Cæditur in classem lucus; fugitiva pererrat
Turba Napæarum; socio seseque tumultu
Hortantur, viridemque domum, captivaque plangunt
Robora, & amplexis dispensant oscula truncis.
Parte alia Crotalon, lacrymis impervia torquens
Lumina, inexhaustæ fumat caligine cædis.
Ille Adaim, claraque satum de gente, Baanan
Continuat ferro: sitiebat funera cuspis
Tertia: tu, Philoe, occurris, pulcherrimus Infans,
Et tantùm genitrice minor; quem protinus ense
Transadigit. lino insertam tunc forte Puellæ
Effigiem, & nitido fucatos murice vultus,
Ludicra versabat teneris simulacra lacertis,
Pictis multa comis defigens oscula, pictis
Multa genis; crudumque Puer discebat amorem
Nescius: innocuos sed tu, sęvissime tortor,
Dividis amplexus; medias crudelior inter
Et furis illecebras: accepto vulnere pressis
Ille tamen digitis Pupam, nexuque tuetur;
Nec vita placitos vultus abeunte relinquit.
Terbilion oculis transversa tuentibus horrens
Perrumpit secreta domus: riget aspera vili
Sica manu; gazis inhians, auroque Novercæ,

Quâ

Quâ miseram, placidos eflantem pectore somnos,
Hauserat; & patrias populatus fugerat Ædes.
Obvius huic primùm, Dalila genitrice creatus,
Aminadab. conata Parens prohibere nocentes
Terque, quaterque manus; strictumque avellere ferrũ
Injectu lævæ; sed fauces ille parentis
Elidens, ferrum puerili in pectore condit.
Defecere manus in funera; funeris ardens
Nec saturata fames. Tanin, Jamuelque, Gemellos,
Occupat; ingenti similes quos turgida partu
Radigunda dedit. solum discrimina nomen
Dat Pueris: uteri sunt indiscreta Parenti
Pignora chara sui: gratissimus attamen illi
Error, & ambiguæ placet ignorantia Matri.
Involat in prædam; media sed lentus in ira
Diriguit tortor; tacito luctamine tangi
Viscera, lacrymulis indignaturque moveri.
Tu verò vanas, dixit, moriture, querelas,
Et lacrymas ne perde, Puer: simul impulit ensem
Fulmineum, & facilem transmittit in obvia mortem
Pectora. qui superest, Lictoris munere, Frater
Vivere forte queat; puduit sed, Fratre perempto,
Vivere: seque ultro in mortem temerarius addit;
Lacrymulasque ciens, Caderem felicior, inquit,
Matris in amplexu; Matrem Fortuna negavit;
Germano spectante cadam. Fratremque recumbens
Opprimit; & mistos confundunt funere Manes.
Ite, pares animæ, cineres miscere sepulchro;
Et matrem si dura negat fortuna secundam,
Amplexi primæ gremio succedite Matris.
Non procul inde Parens puteo sudabat anhelo,
Ut veterem liquidis ditaret roribus urnam.
Ad-

Admotum inſcendit ſilicem , labroque ſuperſtat
Tuta ſcrobis caligantis , primùmque lacertos
Exertat , rapidumque manu complexa laborem ,
Eluctatur aquas , amentaque lubrica tendit
Funis perpetui . parili librata recurrit
Hydria momento : querulos dat trochlea cantus
Stridula ; ferratoque volubilis ingemit axe.
Illa , timens reſti properanti , brachia laxat
In numerum ; longęque pavet patula ora ruinæ :
Jamque triumphalis , putei de valle profunda ,
Hydria perſpicuos rores , & vile reportat
Ocyor argentum , vulgaris munera gazæ .
Illa rigentis opes lymphæ ... Sed territa nutrix
Adfuit à tergo : Occidimus , Radigunda , bipenni
Cæditur , heu ! geminus , tua prima ſuperbia , partus ,
Heu nimis infelix ! potuit nec dicere , Mater .
Diriguere comæ : narrantem funera prolis
Vix odiſſe vacat : dubios tremor arietat artus ;
Excuſſæque urnæ manibus ; revolutaque funis
Pondera turbatas raucùm ſonuere per undas .
Excutitur tandem , ſedeſque ululatibus implet ;
Et procul , heu ! Sobolem vidit tremebunda , tenaces
Urgentem amplexus , ſupremaque frigora amantem .
Cędis ad aſpectum haud periit ; quia viſa parenti
Mors levior , tantum ſi ferret viva dolorem :
Cominus approperare timet ; ſed languida demum
Procubuit , vixque alto tandem effata dolore eſt .
Intempeſtivos , Pueri , divellite nexus ,
Si vacat , & mediam vel ſic admittite Matrem .
Hoſne ſinus fugitis ? Matrem , cognoſcite Matrem .
Hei mihi ! voſne parentis honos ? vos prima poteſtas ?
Vos uteri fortuna mei ? quibus aſtra putabam
Scan-

Scandere, Idumęásque super clarescere Matres?
Usque adeo sum visa nocens? quo crimine tanto
Hoc merui, tales ut vos complexa tenerem?
Heu quanti caditis! matri, gratissima proles,
Saltem redde oculos; oculis ò morte sub ipsa
Lumina chara meis, & quæ non vidit acerbus
Tortor. at improbus ille quis est? terrane, marine
Conditur? ille meâ jam dudum disceret irâ,
Fęmina quid possit, natis orbataque Mater.
Vix ea: cum, fœdi respersus pulvere belli,
Progreditur tortor: prolem subit ira cadentem
Ulcisci, miserumque diem: sed languet inermis
Inclita ad ausa furor; studioque exercet inani
Nuda odia; & jaculum sterilis vindicta negabat.
Oblatum casu silicem fortuna ministrat:
Approperat: raptumque manu sublimis in hostem
Contorsit, vires odio supplente minores,
Adjecitque simul. Morere, & socialibus umbris
Fæminea cecidisse manu narrare memento.
Segnior haud dictis volat, irrevocabile vulnus
Acta ferens cautes, mediaque in fronte resedit.
Nec satis in mortem fuerat; sed fortè labantem
Eumenides, fractâque simul Mars impulit hastâ.
Nec minus interea Periphas sudante cupressu
Sęvit. inexpletæ funesta it nuncia mortis
Arbor, & horrifico præsagit funera trunco.
Indefleta jacent, liquidoque allisa cerebro
Corpora complevere vias: nec mollia tantùm
Pignora; sed cæsas captivis matribus addit
Ira Domos, lacerasque fores, laquearia fuso
Strata solo, trabibus nudataque tecta revulsis.
Dulcia dejectas non inter pocula mensas,
Non

Non numerat fractas rabies circumvaga cunas.
Verùm nulla dies memori vos eximet ævo,
Eliacim, formaque Puer pręstante, Zeriphal.
Intertexta auro, pictisque illusa figuris,
Eliacim, tibi vestis erat, flammante coruscas
Findit ubi curru nubes, & sidera scandit
Thesbites; lætaque abeuntem voce sequutus
Saphatides, rapti poscebat pallia Vatis.
Sed pelagi tibi picta chlamys, formose Zeriphal,
Exprimit irati faciem: projectus in undas
Solvit Amathites ubi longo męsta suorum
Corda metu, nubesque abigit, Cęlumque serenat.
Ille latet pelago; donec Neptunia Pistrix
Assyriis revomit Præconem Numinis oris.
Nati infelices! geminæ qui vestis in auro
Vera coloratæ geritis præsagia mortis.
Namque hujus Periphas limoso candida mergit
Membrâ lacu; & glaucâ salientem deserit ulvâ.
Illum, compositæ Cereris male provida mater
Torreret cum liba focis, jaculatur in ignes
Ardentis caveæ. prolem divellere flammis
Ter conata parens; rapidæ fornacis ab alvo
Fessa ter ambustos retulit, sine prole, lacertos.
Mitia te saltem, somnosque imitantia fata
Pręripiunt, Salomon. stratis te pulchra jacentem
Composuit Juditta parens, agitansque vetustas
Nunc pede supposito, nunc dextra indeside cunas,
Nęniolâ dulces somnos de more vocabat.
Somne, veni; lasso Salomon te, somnule, dixit,
Pectore, te Salomon madidis invitat ocellis.
Somnos optabat; somnus superadstitit illi
Ferreus. ut duro fossor succidit aratro

L Lan-

Languentem florem; gladio sic obvius Orgon
Lacteolæ cervicis ebur, frontemque, genasque
Perfodit. imbelli sed nexa monilia collo
Solvere dum properat, validis congressa lacertis,
Occupat adversum Juditta, ensemque cruentis
Extorquet manibus; crines innectere lęva
Nec segnis, valido connitens desuper ictu,
Prædonis fœda caput à cervice revellit.
Isaciæ plausum ingeminant ad sidera matres,
Lętitiâque fremunt: juvat ora rigentia letho,
Et formidatos oculos, frontemque tueri.
Non alios retulit plausus Bethulis Amazon,
Unde genus, Juditta, tibi cum nomine fluxit,
Felix castrorum medios ubi lapsa per ignes,
Messuit Assyrii caput exitiale Tyranni.
Illa sed immitis turbavit gaudia Targon,
Orgontis frater. Puerorum insignia septem
Corpora lecta manu celsas sublimis in Ædes
Corripuit: specula tum sic effatus ab alta.
Huc celerate fugam, propiusque accedite, matres.
Dividit hęc vobis dulcissima munera Targon;
Manibus hos mœrens fraternis immolat artus.
Hæc fatus, tenero stillantia sanguine membra,
Infandum! lacerosque humeros, cæsosque lacertos
Dejicit in præceps. humor fluit undique rivis
Purpureus; taboque rigentia saxa tepescunt.
Atque ea dum Targon, furiis incensus iniquis,
Funera natorum tectis sublimibus edit:
Non telis, gladioque furit sævissimus Asprax;
Prægrandem corbem sed longa indagine complet,
Corporibusque onerat vivis, cogitque premendo.
Bis senis illam memorant saturasse Puellis;

Ad-

Adnitens humeris quam poſtquam injecit obeſis,
Exilit ; & celeres agit extra mœnia greſſus.
Imbribus hibernis auctus, nivibuſque ſolutis
Præcipiti torrens vaſtabat gurgite campos ;
Paſtorumque domos dorſo, ſilvaſque trahebat.
Huc molitus iter prope jam devenerat hoſtis,
Scilicet ut medias Pueros jactaret in undas.
Sed quacumque trahit veſtigia, flebile murmur
Infantum, querulo reſonans & ſarcina fletu
Fœmineum luctu miſero conciverat agmen.
Raptorem immitem ſequitur circumflua turba ;
Et longo avectas prędas clamore repoſcit.
Hoc latro magis urget iter : jam jamque ſonantes
Subſtitit ad fluctus. hic textam vimine ciſtam,
Inſontis turbæ ciſtam commune ſepulchrum,
Detrahit ex humeris ; atque impete mergit acerbo.
Horruit unda nefas : penituſque exterritus amnis
Contremuit ; crebroque dolens ſe vortice torquet,
Extremâ fluitat dum virgea corbis in undâ,
Nondum hauſta, attoniti forſan torrentis amore,
Viderat extantem ſumma inter corpora prolem
Te, Zonadar, Suſanna parens. Non illa pericli
Præſentis faciem ; non cogitat illa voracis
Amnis iter : ſaltu, nati quò cura vocabat,
Emicat in medias, quas nec bene diſpicit, undas.
Aſpirat cœptis, generoſaque vota ſecundat
Sors primùm: apprenſa Puerum nam corbe revellit,
Adſtringitque, fovens ulnis, atque oſcula figit.
Officio minus apta ſuo ſed, pondere dulci
Dextra retenta, fuit : non fluctus brachia contra
Dirigere ; aut æſtus potis eſt arcere ſequentes.
Una ſalus miſeræ, amplexam dimittere prolem ;

Crudelis sed visa salus. ergo ultima quando
Per latus omne minax intentat funera torrens,
Mergitur; adstrictum nec vellit ab ubere natum.
Clamorem attollunt, feriunt & sidera Matres,
Quæ longo ripas stipabant agmine; quarum
Quæ pollens animis, fortissima Bersabee,
Conversa ad Socias; At nos vilissima, dixit,
Pectora, cur non hunc saltem detrudimus Orco;
Susannæ inferias, Puerorum cæde tumentem;
Hostili & manes insontes morte piamus?
Protinus accurrunt omnes: validisque lacertis
Impulsum ripis deturbant. impius Asprax
Raucisonis perit haustus aquis, post funera tanta
Matribus exiguum miseris, serumque levamen.
Non procul Artimedon gladio fumante cruorem
Lambit ovans. tuus ille cruor, pulcherrime Bethel;
Fasciolas Rachel croceo cui Mater acantho
Texuit; auratis radiant cunabula signis
Aspera, Jerichidæ præstans opus Obdedeonis.
Namque illic latè Maris exalbescit imago;
Infestisque agitata Notis freta cæca tumescunt.
Auxiliis verùm fretus cœlestibus Heros
Amramides, virgâque potens, famulata secundis
Æquora sternit aquis; ventisque silentia mandat.
Tùnc hilares, lætumque Deo Pæana canentes,
Isaciæ subeunt acies; & cærula lustrant.
Squamigeri plausere greges; curuique choreas,
Et saltus mediis ducunt Delphines in undis.
Interea Pharios currus, turmasque sequaces,
Signaque Niliaci Superis inimica Tyranni
Sorbet aquis ultor pelagus. trahit unda vagantes
Bellorum exuvias, clypeos, demersaque plaustra,
Esse-

Essedaque, & laceris fluitantia tela pharetris.
Hos, Bethel formose, tibi cunabula casus
Monstrabant; proprio, Puer ah miserande, cruore
Argumentum ingens nunc purpurat;agmina,Currus,
Floridus, effuso manat qui pectore, sanguis
Diluit; atque tui confundunt Æquora rivi.
Hoc tamen indignam lethi solabere sortem,
Quòd placidas tumuli non incomitatus ad umbras
Descendis; multusque cadis. comes additur olli,
Deliciæ nutricis, Oab: qui Matris Ebusæ
Nomen inexpertis iterat dum dulce labellis,
Et Matrem per tecta frequens angusta vocabat;
Lingua resecta solo trepidat; succisaque fibris
Palpitat; & Matrem, vel sic facunda, vocabat.
Te quoque,Gamaliel,gremio dum sedula mater,
Amplexuque fovet, subitum divortia ferrum
Dura dedit. Pueri sævâ divisa securi
Brachia materno pendent hærentia collo.
Ille sed in mediam trunco collapsus arenam,
Procubuit; lætus quòd Matris colla gravaret
Saltem parte sui: truncos è Matre lacertos
Laudabat moriens; integros oderat artus:
Et blesus, Manuum cur non exempla mearum
Truncus iners sequor ipse? refert: dubiæque parentis
Nec junctus periit, sed nec divulsus ab ulnis.
Non secus adstrictâ vitis quæ serpit in ulmo,
Si Jovis igne cadit, vel cæsa securibus, ultro
Membra minora iræ cedit; sed palmite summo
Luctatur; demumque ruens, vel trunca superbit
Sorte sua, invicto Matrem complexa flagello.
Beniamin petit Hippoderos, Corilampus Aleten,
Lisum Atamas,Clitumq; Trocax;cui faucibus ungues

Vulnificos adigit; nec te tua plurima, Binel,
Phlegromedorontis subtraxit gratia ferro.
Sed tua non cunas petit, illacrymabilis Arcon,
Dextera; dignatur facilem non hasta cruorem;
Et tantùm armigeras furor est invadere matres.
Ceu Tigris, Libyco jejunia passa sub antro,
Impastam quamvis effœtæ colla juvencæ
Solicitent, & sparsa hilares armenta per agros,
Abnuit; inque humiles descendere negligit armos
Ambitiosa fames: pudet escam tangere morsu,
Nobilitant claræ quam nulla pericula pugnæ.
Ultimus, exhausto per tot jam funera cantu,
Tessaranamphe, venis. clades æquare canendo
Quis valeat? Matrum vesano turba tumultu
Publica Busta petit; cineresque invadit avorum
Certatim; & charos tumulis committere partus
Tentat; honoratis si parcere fortè sepulchris
Atropos, & duri valeat clementia Martis.
Pars trepidans sacros aræ complectitur ignes
Interea, & tacito damnabat sidera voto:
Pars, densata humeros, ferratis postibus arcent
Hostem impacatum; valvasque tenacibus urgent
Unguibus, & fortes minuunt ad robora dentes.
Arduus horrificis sed, Tessaranamphe, lacertis
Fraxineas crates amplecteris: ostia, ferro
Nequidquam tutante, ruunt: gemuere revulsis
Busta fibris, tellusque procul tremefacta remugit.
Tunc verò multo sordentes sanguine fauces
Explevit; perque agglomerata cadavera fœdos
Molitur gressus, & funera passibus æquat.
Jamque propinquabat Victor, quà tristibus aris
Clara vaporatos urebat flamma Sabæos.

Tur-

Turbatur gladio sacri penetrale recessus;
Et Superûm violatus honos. amplexa tenebat
Exangues Telesarta focos: destrâque flagrantem
Attollens torrem, tacita sic voce precatur.
Summe Parens, sincera tibi si victima flammis
Ardet, Idumæas si nec dum despicis arces,
Dirige fœmineum jaculum, votumque secunda;
Et letho innumeras clades ulciscere in uno.
Vix ea: stridentemque inimica in lumina torrem
Impegit; fixumque oculo fumante reliquit.
Ille diu queritur nequidquam roribus artus
Duratos Stygiis; vanamque in morte parentem
Devovet; avulsumque oculis contorquet in auras
Magnanimum torrem, Stygios & transit ad ignes.
Tunc spoliis Telesarta tumens, lævâque cruentam
Cæsariem innectens; Tandem tranquillior, inquit,
Tessaranamphe, jaces, & cui jam fidere possim.
Interea rauco properant in busta boatu
Latronũ glomerata phalanx; Strophilusq;, Toraxq;,
Gorgonides, celsusq; Drepan;cumq; Astore, Brancax,
Hippoderos, Caligarque, & ferreus Ircosantes.
Irrumpunt tumulos. primo Rodobaldarus ictu
Ter binos terebrat; jugulataque corpora longo
Attollit pilo, & medias jaculatur in auras.
Inde animi sociis. vasto sed Rhetus in urnam
Præcipitat lapsu: ne quid victoria ferro
Deberet, propriæ confecit mole ruinæ
Ille quaterdenos; effusaque viscera ab extis
Projicit, & laceros jacit in laquearia truncos.
Parte alia, horrificos morti tollebat acervos
Tifardes; tumidamque rotans per colla securim,
Sordida polluto libabat gaudia ferro.

Cordacer invadit Jocabed; petit Argafus Hanan,
Philogerufq; Timel; Brantus Jonatamque, Sinanque,
Et Sabai, Jaminque; illis nodofa cecidit
Clava humeros, nec te trepidantem, Sina, reliquit.
Nec ſtrages urnæ tenebris latuere; Nepotum
Sanguine non ſoli cineres rubuiſtis avorum:
Exundat tumulis cruor; &, torrente rapaci,
Succiſas rotat unda manus, humeroſque, lacertoſque,
Avulſaſque fibras. Sordentibus obruta rivis
Limina; ſtant atro perfuſa ſedilia tabo;
Et picturatus violatur ſanguine fornix.
Obliqua Cœli Pietas in parte ſedebat,
Averſata nefas. quin ipſa retorſit Erynnis
Lumina, & obductis velaverat ora colubris.
Interea ripis major ruit imbre cruento
Jordanes, rubriſque minax rigat arva procellis.
Jamque vacillantem curru, & de ſtrage recenti
Fumantem tremefacta Thetis Titana recepit.
Nox ruit: & totis malè funera contegit umbris.
Non unquam felix ſcelus eſt. en ſerva recondit
Ægyptus Puerum, vana quem clade Tyrannus
Emerat; & tantis dignus qui creditus armis.
Dat profugo ſua Regna Pharos, multùmque futuris
Clarior hoſpitiis, & jam non barbara Memphis
Annuit; & prono plauſerunt vertice turres,
Spreveruntque polos. gemino de Sole Syene
Turgida flagrabat. tumidus tunc Hoſpite tanto
Nilus inacceſſos apices, frontemque negatam
Arcano de fonte trahit; primùmque videri
Paſſus; & Infantem, neglecto Sole, ſalutat.
Mox ruit, ignotis iterumque revolvitur antris.
Secretum hoſpitium fluvii ne quære latentis:
Arbi-

Arbitrio latet ille ſuo, latebriſque ſuperbit.
Terrarum obtutu pudor eſt fœdare Tonantis
Spectatorem oculum: ſpecioſo lumina damnat
Exilio, viſoque ſatis ſe Numine paſcit.

DEODATI GOZZONII *Equitis Rhodiani de teterrimo Dracone Triumphus.*

CARMEN IX.

CArpathii, rediviva Rhodos, Regina profundi,
Excute ſolicitos generoſo è corde timores.
Occidit, oppreſſâque jacet reſupinus arenâ,
Qui tua lethifero populatus Regna veneno,
Surgebat latis Draco formidatus in arvis.
Quanta Viri virtus, fortis quæ gloria dextræ!
Vindice qua Serpens, immanem ſaucius alvum,
Occupat immenſos, modò quos populaverat, agros
Huc celſis properate jugis, quos læta Camyros,
Quos virides Lindi colles, Ophiuſiaque arva,
Umbroſoque tenet vallis Telechinia ſaltu:
Juncta lacertoſis Paſtorum turba Colonis,
Huc celerate gradus. Monſtri numerare jacentis
Vulnera, cervicem pedibus calcare ſuperbis
Jam vacat, & criſtæ juvat inſultare minanti.
Tu modò, ſi dignas amor eſt perſolvere grates,
Inſula, Victori, celſis attolle Coloſſum
Nubibus, & patrio Bellatorem inſere Cœlo.
Ornatam ſolidis nec tam pretioſa metallis

Te

Te posthac celebrent simulacra nitentia Solis,
Quàm monumenta tuo statues quæ splendida Marti.
Pestis Jalysios agros, monstrumque tenebat
Horrendum, fatale, Draco. non Lerna creavit,
Non Nasamoniacis Libye deformis arenis
Ipsa parem: tantus non sidera territat Hydrus,
Qui geminam collo, caudâque amplectitur Arcton.
Jugera longa premit, nulli penetrabile telo,
Dorsum immane, ingens. collecti flore veneni,
Cęruleisque tumens maculis, micat ardua cervix,
Et picturatæ crudelis purpura cristæ.
Præ se terrificas clades, gelidosque pavores
Torvus agit: viridi seu colla tumentia tabo
Producit, longo signatque novalia sulco;
Picta catenatos seu tergora torquet in orbes,
Et proprios spiris ingentibus alligat artus.
Non quæ dissiliunt oculis ignita cruentis
Tela, feras; non ora putri liventia nimbo;
Tollentemque jubas, & se post terga trahentem.
Jam, qui pollutas incestat anhelitus auras,
Inficit arva lue, & tetro sata proterit æstu.
Dicite, frondiferi saltus, vallesque supinæ,
Quæ fuga Pastorum; quis rura colentibus horror,
Cum rabidos fremitus cæco sublimis ab antro
Ederet; & pavidæ tremerent ad sibila silvæ?
Dumosa quoties pendentes rupe capellæ
Procubuere, luem subitam spirantibus auris;
Attonitus summo montis de vertice Pastor
Ingemit, & miseram saxis illidit avenam.
Robustos quoties tauros cum fossor aratro
Jungeret, incœptum morbosa ad flamina sulcum
Deseruere; jugumque simul, vitamque relinquunt,
Lu-

Lunata terram feriunt & fronte juvenci.
Rustica tunc suspensa humeris exanguis arator
Arma trahit, subitisque domum clamoribus implet,
Longævaque dolet miseros cum Conjuge casus.
Nullus honos campis: rident non florea circum
Pascua, non gravidi Bacchæo nectare colles.
Excessere Deę, quibus arva virentia cordi;
Squalida nec mętas delectant culta Napæas.
Qui loricatum squammis invadere monstrum
Auderet fortis, nocuamque avertere pestem,
Nullus erat; multos licet Insula Martis Alumnos
Bellatrix ferret. pestis cristata cavernis
Otia sic vastis imperturbata trahebat;
Et vacuis, impune nocens, regnabat in agris.
Sed tacitis fato major tua pectora flammis,
Gozzoni, incendit Virtus, laudumque cupido,
Atque soli natalis amor. micat ignea celsi
Vis animi, & rebus constantia major in arctis.
Ille, licet fessis jamdudum viribus impar,
Vergeret ad senium; patriæ discrimine tanto,
Erigitur; revocatque animo desueta juventæ
Robora: præclaro gaudet decorare sepulchrum
Funere, vel palmâ, & seros clarescere canos.
Ut Lea, Getulo recubat dum rupis in antro,
Quam labentẽ annis, & languida membra trahentem
Marmaricus ridet Venator; ab ubere charos
Si tamen avellit catulos, prædâque potitur,
Exurgit, meminitque sui; spretamque Leęnam
Non patitur: stimulis generosis corda lacessit
Ambitiosus honos; ducitque ab bella furentem
Raptæ prolis amor, spretæque injuria caudæ.
Gorgoneæ truculenta feræ non ora pavescit

Bel-

Bellipotens Heros. duræ discrimina pugnæ,
Insuetumque hostem sed qua ratione doceret
Quadrupedem belli socium, fidosque Molossos,
Anxius expendit; viso ne cominus angue,
Squammigerum Bellatorem, pestemque tremiscant
Versicoloratam, & diræ spectacula formæ.
Ergo novas artes flagranti pectore volvit.
Atque domi primùm certamina tuta colubro
Exercet ficto; & tacita præludit in umbra.
Anguis in effigiem simulacrum immane papyro
Assimilat docili; vastumque extendit in orbem.
Explicat argutos junctura plicatilis artus,
Intorti chalybis nexu. si ferrea ducas
Intus fila manu, se flexile corpus in omnes
Circumagit partes: sublato vertice in auras
Surgere sublimem si jusseris, ardua cervix
Emicat: horrisonas, si jusseris, explicat alas:
Pectora, frontem, humeros, & colla tumentia docti
Flectit ad imperium Artificis, sequiturque vocantem
Et, ne terribili desit sua gratia formæ,
Addit opes operi, qui singula dividit aptus
Membra, color. picto cervix nam fulgurat auro;
Murice crista rubet; mento fluit albidus humor;
Ignescunt subitis ardentia lumina flammis;
Pallida frons, humeri virides, sunt cęrula colla;
Pectora confundunt omnes maculosa colores.
Quæ monstri facies! mentitur singula tantâ
Arte Faber, verum ut credas spirare Draconem,
Siquid abest vitæ, motum fortasse requiris;
Hic quoque ne desit, jam protinus ille movetur.
Scilicet intextis vacuam compagibus alvum
Ingreditur Famulus, certa qui verset inertem
Le-

Lege feram, subigatque rotas. latet ille cavernâ
Inclusus fragili. Argolico fabricatus Epeo,
Talis erat, ni fallor, Equus, qui Pergama contra
Evomuit longas, utero prægnante, ruinas:
Quadrupedē Danaum Rhodio quicumque Draconi
Conferet, hoc solùm discordes nomine dicet:
Servavit Rhodius; Danaus sed perdidit Urbem.
Inclusus lateri cęco versatile monstrum
Ergo agitat Famulus; validosque ad sæva lacessit
Bella canes. primo simulacrum turpe Lacones
Impete declinant; sonipesque repugnat habenis;
Attollitque Ducem exiliens: sed verbere crebro
Urget Eques, stimulisque adigit, frontemque minantē
Sustinuisse docet. pugnam neque segniùs illi
Instaurant animis ingentibus: effera monstri
Ora pati insuescunt; rabidis quin morsibus audent
Squammosas lacerare jubas. umbratile bellum
Sic docti exercent, & sęva pericula discunt.
Interea tenebris rutilans Aurora fugatis
Exoritur: non illa rosis redimita capillos;
Laurea serta gerit faustæ, præsagia pugnæ.
At mora nulla: triumphalem Gozzonius hastam
Arripit, & lateri generosum accommodat ensem.
Ære gravat pectus; clypei textumque rigentis
Sumit, & audaci tribuit tutamina fronti.
Quadrupedem inscendit tacitus: comitantur euntem
Spartana gemini fortes de gente molossi.
Mensus iter longum monstri penetrale cruentum
Attigit informis: cursu micat ille citato,
Quadrupedis crebris & pulsibus arva fatigat.
Ut draco terribili lucos tremuisse boatu
Sensit, inassuetis pulsasque latratibus auras,
Et

Et ruptam nemoris, quam fecerat ipse, quietem;
Prædam animo certam spondens, de rupe cavata
Attollit ferale caput; quo pallida viso
Silva tremit; rigidas frondes pavor excutit, altas
Vel pinus curvante metu. Silvanus in antro
Delituit; pavideque procul fugere Napeæ.
Sibila mox jacit in ventos; queis, murmure rauco,
Respondent nemorum caveæ; proscissaque reddunt
Saxa sonum; plauduntque novæ ceu conscia pugnæ.
Isque ubi quadrupedem sublata fronte frementē
Vidit, inoffensæ placidus stetit aggere silvæ,
Despexitque Ducem. neque enim concurrere bello
Dignatur, vel Marte pari; quem sibila credit
Ad prima, & torvæ periturum fulgura frontis.
Sed jam fulminea Rhodius bellator in hasta
Altus equo superimminet, & fera spicula tendens
Telum horrendum, ingens, & acuto missile ferro
In latus, inque feri squammis horrentia terga
Torsit, sed frustra: dissecto fragmina ferro
Dissiluere; truci nequiddam mobilis ictu
Bellua, terribilem mota cute discutit hastam;
Invaditque Equitem. retinet Spartanus euntem
Latratu, duroque trahit per jugera morsu
Luctantem. viridi livescit tetra veneno
Bellua; vulnifico laceratum dente molossum
Projicit exanimem. jacet heu! fidissimus unus
Qui fuerat belli socius; nec funere mœret
Ille suo, Domini sed sæva pericula luget.
Ergo novâ furibundus Eques certamina curâ
Integrat: illapsusque feræ nunc arte magistra
Evitat, docto nunc cominus ense, minaci
Tentat iter chalybi, crebro si vulnere cedant
Indo-

Indociles squammæ: sed tela Cydonia frustra
Torquentem, pugnaque Ducem propiore superbum
Aggreditur Serpens: celeri sua membra rotatu
Explicat, & vasta super hostem mole recumbit,
Oppressitque Ducem. poterat periisse videri
Pondere sub vasto: sed callidus ille tenet se;
Rimaturque oculis, latas si mollis ad ictus
Sit via per costas: celeri dum singula dextra
Scrutatur; tactu mollissima panditur alvus.
Viribus huc totis ferrum luctator adegit
Impiger, & fortem capulo tenus abdidit ensem:
Protinus effosso de pectore gurgite largo
Tabidus exiliit cruor: indignatur acerbam
Ille necem moriens; supremaque sibila in auras
Proiicit; & lato complevit funere campos.
Nec mora: bellator Rhodius de corpore vasto
Prosilit, anguineo persusus corpora tabo:
Eductumque manu gladium Serpentis ab alvo
Attollens, patriam victor remeavit ad Urbem.
Victores sileat, post hęc exempla, Ferarum
Græcia: Cecropiæ jactent non Thesea turres;
Atque suo posthac tumeant minùs Hercule Thebæ.

De

De novis Apostolici Senatus Patribus Purpuratis ab INNOCENTIO XI. *procreatis.*

CARMEN X.

ADdita Romuleo nuper nova ſidera Cęlo,
Feſtivamque Quirinali de culmine Romam,
Calliope, memora. tu pulchris annue cœptis,
Præſidium terris Superûm quem cura, potenſque
Eſſe dedit Romæ Columen; quæ luce recenti
Nunc radiat, Solemque ſuum metitur ab Aſtris.
Septima flaventi meſſis fluitabat ariſta;
Orbaque purpureis męſtùm lugebat Alumnis
Regnatrix Latii; ſubitum quando impulit aures
Murmur, & à pulchro natus certamine clamor.
Efſera nam geminos rapuit diſcordia Colles.
Alter erat, ductus cui docto è marmore nomen
Dat Sonipes: rupes olli æmula Vaticani
Stat contra, duratque ſacras in prælia cautes.
Eduros ſilices Martem ſpirare profanum
Mireris, gelidiſque calentes montibus iras.
Ambitioſa ſitis Regni, famæque prioris
Has acuit rixas. Latii nam turget uterque
Principis hoſpitio; alternis qui Sedibus annum
Dividit; & geminas, ut mos eſt ſolibus, Ædes
Hoſpite ſe magno, & ſociis virtutibus implet.
Montibus inde iræ faciles, atque æmulus ardor.
Et, quaſi Romanis etiam cum Cæſare Magnus
Viveret in ſaxis, majorem noſcere Collem
Ille

Ille negat, negat ille parem: truculentaque miſcent
Diffidia alterni, & Gradivo judice certant.
Et querimur genus humanum mortalia corda
Ambitione rapi; lapides quando improbus urit
Ambitus, & gelido flagrant in marmore rixæ?
Quin etiam reliquos certamen nobile montes
Dividit in partes. dictus de vimine Collis,
Eſquiliæque truces pugnant pro Colle Quirini.
Sed Vaticani turgeſcunt ſaxa fidelis
Fœdere Janiculi; ſocio cui robore ſeſe
Addit Aventinus. neutras Capitolia partes
(Calliditatis habent tantum vel ſaxa) ſequuntur.
Non ſecus Ægeo in magno ſi miſcuit undas
Luctator Boreas, vulſæ radicibus imis,
In pugnas abeunt Cyclades; ſcopuloſaque bella
Exercent lapidoſæ acies. igneſcere ſaxa
Invito mirere mari: Neptunus ab alto
Inſontes terræ ſibi ſic ſervire furores
Plaudit, & æquoreæ blandùm riſere Sorores.
Interea, armatis natorum excita querelis,
Approperat Roma, & crines laniata decentes,
Quis furor? o nati, quæ tanta inſania? bellum
Exitiale paratis, ait. mea membra rebelles
Perditis, & miſeram furor eſt lacerare Parentem.
Diſcordes animos compeſcite: ponite ferrum
Ocius; & juſſos præter ne vertite fines.
Quas bello petitis fera per certamina rixas,
Pax ſolvet: monitis modò vos aſſueſcere noſtris,
Diſcite; nec miſeræ pigeat ſuccurrere Matri.
Tempore jam longo nova tingere Purpura Patres
Expectat Latios: ſi, cum libaverit auras,

Vaticane, tuas Regnator Tibridis, ostro
Jnduet Italiæ Heroes; tua culmina regnent,
Et magnam propiùs tollas ad sidera frontem.
Fausta Quirinali faveant si Numina Colli,
Ille habeat primos, felix mihi Collis, honores.
Hæc ait. ast illi Maternis prælia ponunt
Ocius imperiis; inventaque provida laudant.
Sic ubi odoratis civilia prælia campis
Vere novo meditantur apes, totumque Gradivum
Ardentes hausere animi; glomerantur in unum
Strictæ umbone acies; ceduntque, urgentque vicissim,
Ignaræ cessisse loco, Martemque fatigant.
At cautus si fortè jugi de vertice Pastor
Æra manu quatit, aut dispersi pulveris ictu
Occupat errantes; redit in mavortia corda
Pacis amor; cecidere minæ; nec jam ampliùs armis,
Ingenio certare parant. sunt arma, tubæque,
Innocuum murmur per prata; cadaverum acervi,
Sunt flores; sunt palma, rosæ; sunt mella, rapinæ.
Tempus erat, Cererem cum verbere torret adultã
Sirius, æstivumque rotat per inane flagellum.
Terrarum veneratus Atlas tum fortè Quirini
Saxa jugi, mitemque Jovem, vernique colebat
Culminis hospitium; nisu quâ Roma superbo
Occurrit Cœlo, & cognatis insidet astris.
Olli curarum portus, domitrixque laborum,
Languida nocte quies dum stratos irrigat artus,
Clausaque roranti conspergit lumina ramo;
Alma Themis pulsas effulgere visa per umbras.
Illa quidem niveo corpus velabat amictu;
Dextera gemmanti calatho sed murice vestes
Sido-

Sidonio tinctas, & pilea rubra ferebat.
Tum sic orsa loqui. Latiæ Pater inclyte gentis,
Terrarum, Cœlique potens, quid nobilis ultra
Spes trahis Italiæ? meritos Insignia Patres
Jam sua condecórent. illis, delapsa per auras,
Ipsa tuli Tyrio flammatas murice lanas.
Tu lentas abrumpe moras. non ora, decusque
Conspicis Heroum, Latii quos cognita Virtus
Destinat Imperii Proceres? sic fata decoros
Luce coloravit vultus, quibus alma Senatum
Roma suum cumulet. Simulacra nitentia totum
Per conclave novam diffundunt undique lucem.
Non secus Heroum signis, cerisque vetustis,
Et variis radiare solent Musæa figuris.
Atque hæc divina ductus dum sorte Sacerdos
Obstupet, & tacitos ducit per singula vultus;
Subripitur celeres fugiens Astræa per auras,
Et lucis longo signat vestigia tractu.
    Ille thoro exsiliens noctis simulacra volutat
Magnanimo sub corde: placent in vultibus altæ
Effigies animorum, & corda capacia magnæ
Indolis. hinc, qua voce tremunt pallentia torvo
Tartara mugitu, numerosis Patribus auget
Spes Latii. claro properati muricis ostro
Purpurei micuere Patres. tunc ardua Victor
Astra Quirinalis generoso vertice Collis
Intrat. anhelantes videas per compita currus,
Undantesque viarum aditus, Romamque frementem.
    Sed victum pluvioso turbine Vaticanus
Obnubit caput, & pudibundæ culmina frontis,
Ter conatus aquis, fremebundæ atque imbre procellæ

Obruere auguſtos pompæ regalis honores; *
Ter Sol liventes ſuperavit clarior imbres,
Cernere qui Patres voluit ſine nube Latinos.

ELE-

* *Pluvioſo primum die, ſed poſtea lucidiſſimo novi electi Patres.*

ELEGIARUM
LIBER PRIMUS.

Thuſæ, in Oppido Siciliæ, bombyces fere exanimes in laureo ramuſculo ex Ara Venerabilis Euchariſtiæ detracto, & ſtratis frondibus impoſito, effigiem Hoſtiæ ſalutaris cum radiata Pyxide ad vivum aſſimulant: reliqua verò ſarmenta folliculorum inuſitatâ copiâ onerant.

AD P. FRANCISCUM GUARINI, Societatis JESU Præpoſito Generali in rebus Italiæ Aſſiſtentem, apud quem admirabile textum bombycini operis aſſervatur.

ELEGIA I.

SIcelis errabat laceris Arethuſa capillis,
    Et decus, & Siculi flos Arethuſa ſoli.

Olli, qui vitæ bombyx alimenta miniſtrat,
Dum cœptum, ah miſeram!, deficit inter opus.
Illa quidem vigili providerat omnia curâ;
Straverat & lætos fronde virente thoros.
Extuleratque leves, patrio de more, geniſtas,
Scanderet ut notos Dædala turba gradus.
Sed nihil enodes juvit pręfigere ramos;
Dum vacat hoſpitibus Sylvula nuda ſuis.
Brachia lenta ſalix nitidis tendebat alumnis;
Irrita tendebat brachia lenta ſalix.
Sæpe, velut ſtimulis urgebat inertia corda,
Flectere ſolicitum viſa geniſta caput.
Decuſſis foliis ingloria, ſcilicet ambit
Aurea textilibus ſurgere facta comis.
Languida ſed thalamis acies inhonora jacebat:
Nulla, laceſſentem quæ ſequeretur, erat.
Immemores magnorum operum, ſegneſque laboris
Illaqueat glacie fœda rigente lues.
Exitioſa lues pallentes occupat artus;
Et natat informi tabidus ore color.
Pars macie depaſta thoris genialibus errat,
Squalida per lentas conficiturque moras.
Pars dulces animas in amica fronde relinquit;
Urnaque fit, miſeris quæ brevis eſca fuit.
Non juvat attonſos Thisbæa ex arbore crines
Virginea rurſum ſuppoſuiſſe manu.
Non juvat in cellas nitidos inducere Soles;
Aura recens nullam ſuppeditabat opem.
Interea ſua dum reputat diſpendia Virgo,
Pallet, vermiculis concolor ipſa ſuis.
Maternoſque ſinus, & anilia colla lacertis
Dum tenet, & gemino pectora fonte rigat;
Impro-

Improba, dicebat, vicinâ consita Sylvâ,
  Scilicet hæc reddis præmia, More, mihi?
Credula tot colui quòd te studiosa per annos,
  Quòd mihi non alia fronde corona fuit?
Nunc tristes offers bombycibus invida succos;
  Spesque adimis vitæ deliciasque meæ.
His mihi pro meritis si vulnera tanta rependis;
  Fraude peti facilis si tibi visa fui;
Sanguine te meritò tinxit Babylonia Thisbe;
  Produnt ingenium poma cruenta tuum.
Augurium mihi triste, tuâ cum luderet umbrâ,
  Nunc memini, cecinit præscia noctis avis.
Nunc memini; has clades tonitrus mihi sæpè sinistri,
  Sylvaque præcinuit sulphure tacta Jovis.
Hoc erat, hiberna vidi quæ somnia nocte,
  Quòd fugeret nutrix exposuisse mihi.
Hoc erat, explicitæ quòd anus Nilotica palmæ
  Lineolas relegens, protinus erubuit;
Utque mihi casus caneret turbata sinistros,
  Non ullæ poterant obtinuisse preces.
Sola ego nulla tibi præsagia læva timebam;
  Cum traherere meo, Serica turba, sinu.
Semina cum toties velamine condita molli
  Pectoris ad nostras intepuere nives.
Uberibus cælata meis, renovata caduci
  Cum mihi spes generis, dulce lateret onus.
Sperabam Siculas supra grandescere matres,
  Copia lanicii cum mihi tanta foret:
Merce coruscanti, patrias superare Puellas
  Credideram, spoliis invidiosa meis.
Me mea credulitas sed spe pascebat inani;
  Icariis Aquilo votaque mersit aquis.

Nunc meritò Socias vitem, suffusa rubore,
  Concelebrem lætos nec pudibunda choros.
Obvia si flavis fuerit Thelesina capillis,
  Fastibus illudet protinus illa meis.
Totos culta dies fuerat mihi pulchra Lycoris;
  Nunc invisa mihi pulchra Lycoris erit.
Paupere me tecto, cœcisque recessibus abdam;
  Jugiter obscuros mœsta colamque focos.
Hic soli despecta mihi, ridenda nec ulli,
  Ire querar lentos in mea fata dies.
Teque sequar longo, soboles bombycina, fletu;
  Inferias tristes & tibi semper agam.
Hei mihi! nam viduos thalamos evertere cogor;
  Totaque lanifico cum grege mensa cadet.
Nocte sub illuni, gradiens pede nuda sinistro
  Has mihi vel vitiat dira Cytæis opes;
Miscuit aut magico medicatos murmure succos
  Trinacris Æmonii saga ministra doli.
Ah pereat, quæcumque comas Locusta nocentes
  Fusa, mihi teneros fascinat anguiculos.
Illam, de tepidis dum colligit ossa sepulchris,
  Ultor inextincto devoret igne rogus.
Illam tabifico saliens petat ore Chelydrus,
  Dum carpit sterili triste papaver humo.
Non Hecate stellante velit descendere curru,
  Conscia terrifico dum ciet astra sono.
Non ipsa annuerint poscenti Tartara, figit
  Cerea sacrilegâ cum simulacra manu.
Dixerat. Et qualis tua per dumeta, Cytheron,
  Sęva furit multo Bassaris acta Deo;
Non aliter lacerat crines Arethusa; cietque
  Luctificâ questus irrequieta domo.

For-

Forte dies aderat, quam Relligione parentum
 Sacram posteritas obsequiosa colit.
Quæ recolit gratum divini pignus Amoris,
 Cum nivea occuluit Numina vesca dape.
Quamvis illa redit non incomitata quotannis,
 Pompa quater binos occupat illa dies.
Mystica sæpe vias tunc ducitur Hostia circum;
 Quam longo flagrans thure vaporat Arabs.
Compita flammarum collucent ordine longo;
 Purpureasque vomunt undique Veris opes.
Mygdonios tectis properant efferre tapetes;
 Stragulaque Attalico stamine picta cadunt.
Præcedunt sacri prærasо vertice cœtus;
 Dimensumque pares ingrediuntur iter;
Sive tuas leges, Gusmanæ gloria gentis,
 Sive colunt, Umber Cœnobiarcha, tuas.
Discolor est vestis; nec lex est omnibus una;
 Una tamen Pietas omnibus, una Fides.
Coccina despiciat, nec malit ianthina, nudum
 Copia villosâ cannabe cincta latus.
Ostendunt longum Matres infantibus agmen;
 Sed numerus pretio non caret ille suo.
Succedit sacris pubes obnoxia Templis,
 Ad certos pubes psallere docta modos.
Carbasus obnubit geminos crispata lacertos,
 Ad geminum ludit quæ sinuosa genu.
Pars pia thura cremat; surgit Nabatheia nubes,
 Mistaque Corycio spica Cilissa croco.
Pars solido nixa argento funalia tollit;
 Ingeminatque novum lucida pompa diem.
Pone sacræ Cereris subeunt Conopea; certant
 Longaque Patriciæ tollere pila manus.

In

In medio aurata ſpectandus veſte Sacerdos,
Cui lambunt imos pallia fuſa pedes,
Suſtinet Auguſtale manu; quam ſerica tergo
Affuſa, injectu divite, vela tegunt.
Interea feſtis repetunt concentibus auræ;
Pange Salutarem, lingua diſerta, dapem.
Splendida ſyderei graditur quæ pompa triumphi
Illa tibi vitæ cauſa, Arethuſa, fuit.
Nam tibi vinctus adeſt conſanguinitate propinqua,
Qui ſacra Verbipotens intemerata colit.
Ille ſubit variis vernantem floribus aram,
(Ara ſuperfuſâ Chloride ſemper olet)
Atque levem retulit lauro de virgine Ramum,
Et pictas violæ verſicoloris opes.
Ergo, ubi per thalamos plebes bombycina languent,
Et morbo victum depoſuere caput,
Diſpergit laceros violæ frondentis honores,
Atque novo viduos complet odore thoros.
Aſcenſu facilis, crines detonſa virentes,
Fixa tenet medium laurea virga locum.
Quid tibi non liceat, Cælum mortalibus ægris
Quæ certo monſtras lumine, cœca Fides?
Certa fides potuit duros convellere montes;
Certa Fides celeres ſtare coegit aquas.
Illa jubet Libycas rabiem dediſcere Tigres;
Vipereis adimit peſtibus illa luem.
Illa etiam exanimes ſocias ad priſca reducit
Munera; & adverſa ſurgere fronte jubet.
Namque ubi ceſſantes, & pallida colla trahentes
Arcanus violæ ſolicitavit odor;
Emicat aſſultu vario delecta Juventus;
Et ſcandit veteres, lenta ſalicta, domos.

Sic

Sic picti flores attollunt languida colla,
 Prima pruinoſo cum madet imbre dies.
Plurima vere novo repetit ſic frondea tecta,
 Integrat & querulo gutture carmen avis.
Ergo lares rediviva cohors invadit amicos,
 Corpora nec tardat deſidioſa quies.
Implicat arbuteis errantia brachia ramis,
 Et gratum celſis cratibus urget iter.
Jamque nova exercent puri glomeramina fili;
 Ingentes uteri jam tenuantur opes.
Licia Mæandros imitantur flexa recurvos;
 Atque ipſe argutum dirigit error opus.
Aureus intorto labyrinthus ſtamine ſurgit;
 Artificem at ſolùm decipit ille ſuum.
Mille novos Opifex revolutis orbibus orbes
 Implicat; innumeras itque reditque vias.
Orbiculo ſemper ſed cyclicus errat eodem;
 Semper idem vario calle recurrit iter.
Nunc inflata tumet; nunc turgida detumet alvus;
 Dum nova, inexhauſto fœnore, gaza ſubit.
Ardua nunc nullo gracileſcit pondere cervix;
 Preſſa uteri ſentit nunc revirentis onus.
Sed ſua magnanimæ reparant diſpendia fibræ;
 Atque recens ſarcit byſſina damna labor.
Occulto nitens ducit ſubtegmina jactu;
 Et mira incluſus ſe Faber arte rotat.
Ipſe ſibi radius, pecten, ſcapique ſonantes,
 Et textrina ſimul, textor & ipſe ſibi eſt.
Sed non fila regens Cœlo ſpatiatur aperto;
 Nec fas eſt aura liberiore frui.
Intus agit; certoque regit moderamine follem;
 Et, quam perfecit, non videt ipſe domum.

Intexto ſedes auro nitidiſſima ſurgit;
Cœcus at eſt Domino carcer, & urna ſuo.
Nulla catenati linquunt ſpiracula nexus;
Admittunt nullum licia denſa Jovem.
Quin ubi perpetuæ tumidus vertigine ſpiræ,
In glomerem emenſo ſtamine rhombus abit;
Ipſe laborato ſe ſponte in carcere claudit;
Atque anima eſt operis, qui fuit ante Faber.
Impigra ſed legio denſis tentoria ſignis
Virgea pervigili jam ſtatione tenet.
Certantes arbos male ſuſtinet ægra maniplos,
Viminaque ad celeres ſuccubuere pedes.
Exuviis jam jamque novis ſarmenta niteſcunt
Vilia, fumoſos mox aditura focos.
Oebalio quid inane tumes qui murice fulges,
Lydia barbaricâ cingula pictus acu?
Induit optata qui te lanugine bombyx,
Brachia deſpecti ſtipitis ille tegit.
Ambitio truncis tua te ſylveſtribus æquat;
Virgaque plus pretii, quàm tua veſtis, habet.
Nam, ceu trita chlamys nudis detracta geniſtis
Quæ fuit, illa recens, illa venuſta tibi eſt.
Interea ſpoliis Arethuſa ingentibus aucta
Cunctatur ſortem credere & ipſa ſuam.
Setaba folliculis ſudaria complet adultis;
Nec ſatis eſt curvos caſtula flexa ſinus.
Explicat æquatis mantilia candida menſis;
Non capit anguſtum germina tanta toral.
Carbaſa quid memorem, & diſtenta fatiſcere lina;
Ipſa ſtupet votis victa puella ſuis.
Et, certe Deus hìc, dixit, latet abditus author;
Me ſopor aut vanis ludit imaginibus.

Om-

Omnia dum lustrat, stupidam dum copia mentem,
Ubertim fœtu proveniente, rapit:
Ecce oculos feriunt nova monstra; latere putabat
Quodque Operi missum Numen, adesse videt.
Diriguit demissa genas; nova corripit artus
Relligio, arrectæ constiteruntque comæ;
Excussique sinu bombyces protinus omnes,
Dum laxant trepidæ lina repanda manus.
Namque ubi, quam sacrâ Mystes detraxerat Arâ,
Defixa in medio stramine laurus erat;
Illico complevere locos, ramisque residunt,
Atque novum cœptant reptile vulgus opus.
Non illi in tenues distendunt viscera folles;
In gyrum solita nec redit arte labor.
Quale sed orditur sublimis aranea textum,
Retia dum veteres explicat ante fores;
Cum late tensi casses impunè vagantur,
Et plana æquato stamine tela tremit.
Non aliter bombyx nullos revolutus in Orbes,
Libera Apollineo cespite fila movet.
Nec rotat in teretem serpentia licia spiram:
Ingenium tineæ dedidicere suum:
Miranturque novos casses, & non sua texta:
Gratia adoptivo tanta labore venit.
Numen triticeo non observabile crusto
Omnibus hic unus fingere gliscit Amor.
Addunt prælongę radiantem pyxidis orbem,
Concreto lucet quæ pretiosa gelu.
Plana, volutato modicè sed turgida flexu,
Spira tegit latum, concameratque pedem.
Longior hinc calamus tenuatur; & impiger alto
Vertice non fictus Numina fulcit Atlas.

Ob-

Obstarent gemino extantes nisi tubere nodi,
Ille teres toto stipite culmus erat.
Se gyro inferior globulus breviore coercet;
Celsior extento latiùs orbe tumet.
Imparili surgit dum turbine, sacra ferentis
Firmiùs appositas fulcit uterque manus.
Verùm, ubi tuberibus geminis intersitus ulnam
Obtuso æquavit culmine celsus apex,
Panditur hic dives radiato circulus auro;
Explicat & latum fronte nitente jubar.
Pyxidula hic rutilam promens pellucida frontem,
Condit sidereas orbiculata nives.
Ostiolum, molli fultum libramine, gemmans
Fibula, inaurato dente, coire jubet:
Obserat inque vices Frugem, reseratque perennem,
Cui cessit valido carmine pulsa Ceres.
Numinis has ędes, nitidum & conclave latentis
Quæque sacram irradiant lucida tela dapem,
Turbineamque basim, & longi internodia caulis,
Nexuit Artifici serica turba manu;
Augustum vivi libaminis Argumentum,
Peneis, ramis inseruitque tuis.
Æquavit dociles solers industria villos,
Dixeris intextas stamina pura nives.
Vellere nam mollis subigit qui candida lævor,
Ducit inoffensas per latus omne manus.
Tu modò, quæ fines ornas Arethusa Sicanos,
Virgineas lauro virgine necte comas.
Non tibi, desertæ flammatus transfuga Pisę,
Elęus tacitâ labitur amnis aquâ.
Accolit has sedes cœlestis Amator: inundat
Ille tuos saturo nectaris amne lares.

Nym-

Nympha olim fueras, fontis cui tradita cura:
Nympha sacri custos nunc quoque fontis eris;
Exhibuit quod turba tibi bombycina, Numen,
Si nescis, puri nomina fontis habet.
Fons ego sum, dixit; puteo male nupta profundo
Non vivas peteret cum Samaritis aquas.

In Idem Argumentum

ELEGIA II.

Siderei Juvenes (neque enim sine Numine vestro
Arida divina virgula fruge micat)
Dicite, quis tantas tenui sub pectore curas
Inseruit parvis, exacuitque feris?
Quis terræ pronum arcanis cœlestibus agmen
Intulit, æthereas explicuitque vias?
Fingere quis docuit, tenuique includere filo,
Quem vasto cohibent astra nec ipsa sinu?
Quis nova suspendit ramis miracula? magni
Quis nebula in molli lusit amoris opus?
Viderit hæc, puris quæ mella fragrantia cellis
Educat; ingenio victa recedet apis.
Viderit, adverso collum quæ Sole colorat,
Damnabit torquem picta columba suam.
Viderit hæc, nexis aer cui scribitur alis,
Despiciet doctum Strymonis ales iter.
Unica Solis avis, cui dant incendia vitam,
Et moritura suo, nec moritura rogo,
Viderit hæc; Arabum lectis licet edita truncis
Splendeat, extructam negliget illa pyram.

Has

Has ſibi ſi ſocias operi junxiſſet Arachne,
Carpere Cecropiam Mæonis auſa Deam,
Victa, Minerva, fores equidem: nec Lydia Virgo
Duceret annosâ pendula fila trabe.
Quamvis nec ſtupeas, ſi munera tanta capeſſit
Vermiculus, nuda repere doctus humo.
Ille Opifex rerum, lato qui ſidera Cœlo,
Et terram mediis ſurgere juſſit aquis,
Artifici nutu qui temperat omnia, cretus
Sanguine Virgineo, vermis & ille fuit.
Vermis ego ſum, dixit, humi viliſſima Proles:
Suppetit extrema non mihi plebe locus.
Cognatum illuſtres tineæ ſenſere Tonantem;
Egregium ſoboles ſpirat & alta genus:
Semina magnanimæ ſtirpis ſub pectore fervent;
Artificem artifices quemque ſequantur, habent.
Hinc, ubi feſta dies ſacros indixit honores,
Diaque circumfert pabula pompa frequens,
Velleribus fingunt puris puriſſima liba;
Ne celſo tumeat Munere ſola Ceres.
Ergo, qui niveâ primum ſe condidit eſcâ,
Lanificæ velum nunc quoque nubis amat.
Blattarum tegitur lanugine; ſcillicet illi
Veſtis ſic ſolùm vermiculata placet.
Alternas in amore vices ſed Turba rependit
Serica; cum Domino certat & illa ſuo.
Igne liquens parili, ſua viſcera ſolvit amando;
Fuſa notant validas, ſuſpicor, exta faces.
Quòd ſi non animos ſatis hoc teſtatur amantes,
Quære notas alias, quas dare poſſit amor.
Sed cur extenſas molitur in aere telas,
Turgidulum follem qui glomerare ſolet?
Forſi-

Forſitan ut Patris non enarrabile Verbum
  Non puduit fragili corpore ſponte tegi,
Sic dives, torſit qui mille volumina bombyx,
  Errat inops plano ſtamine araneolus.
Sed tu Sicelidos, laurus, nova gloria Sylvæ,
  Indue fronde nova, nam meruere, comas.
Crines nuda licet, ramos licet arida, palmis
  Erige Idumæis invidioſa caput.
Sylvarum ſocias alias vel Sirius ardens,
  Vel ferus inſanis diruet Auſter aquis.
Excutiet glacialis hyems tibi nulla decorem;
  Arida tu ſemper virga, ſuperſtes eris.
Felix, quam Pindus colit alter, & alter Apollo,
  Ramis nube latens, ut ſolet ille, tuis.
Nulla parem Tempe Zephyris agitata colonis,
  Nulla parem Montis rura bicornis habent.
Fulmina nunc equidem poteris tu nulla timere,
  Dum gremio Authorem fulminis ipſa foves.
Implicat ille tuis an tela latentia ramis?
  Inſita num jaculo virga rubente tua eſt?
Pro foliis ſociale gerunt tua brachia fulmen.
  I nunc, excuſſas nuda querare comas.
Totum palmitibus denſis complexa Tonantem,
  Vulnera quid metuas? ipſa ferire potes.
Fronde tua vinctas morti ſubducere frontes
  Funeris experti quòd tibi ſorte datum,
Vana reor: truncis te de mortalibus unum,
  Unda licet lactet Caſtalis, eſſe puta.
Sæcula nunc liceat ſed longa laceſſere, poſtquam
  Stringis, quo ſolum ſæcla jubente fluunt.
Quàm bene, quem ſacri fama eſt in vertice montis
  Ignitos inter jura dediſſe rubos,

N Hoſ-

Hoſpitio tegis: ardentes ignoſcite dumi,
  Incolit has meliùs Legifer ille nives.
Quadrifida pugnans fortiſſimus arbore Ductor,
  Qui domito prædas ex Acheronte tulit,
Rite triumphalis nunc palmitis inter honores
  A te victricis præmia frontis habet.
Iſacides, Verbi decus immortale recepti
  Cui meruit parvo in corpore magna Fides,
Excelſa micuit ſpectandus ab arbore, ſeptas
  Ut vidit, Domino prætereunte, vias.
Nunc Dominus contra, niveum ſimulatus in orbem,
  Aſcendit ramos, laurus Amica, tuos.
Scilicet & noſci ſublimis, & ardet amari;
  Noſcere cultores & cupit ille ſuos.
Sed cur, qui rigida jacuit trabe, corpore nudo,
  Nunc lanæ pretium ſplendidioris amat?
Nos multo veſtes illudere pectine Serum,
  Fulgentique tegi viderat ille Tyro:
Hinc nova de largis diſpenſat vellera ramis,
  Sufficit & noſtris pabula lautitiis.
Quique, ut nos aleret, facilem ſe præbuit eſcam,
  Nobilis eſt, ut nos induat, ille chlamys.
Quos ita nutrierat, tali quos veſtit amictu,
  Delicias potis eſt dicere jure ſuas.

NE-

NERO IMPERATOR,

Flagrante Roma, Trojanum canit Excidium.

ELEGIA III.

TUrris erat, Latias inter celeberrima turres;
  Ausa leves propiùs nulla ferire Notos.
Æstimat hinc gelidi abruptum latus Apennini,
  Arbitra Tyrrhenas hinc speculatur aquas.
Celsa situ, multosque diu memorata per annos,
  Turgebat famâ celsior illa suâ.
Excidium postquam sed vertice vidit inulto,
  O pudor! & lapsus, maxima Roma, tuos,
Sustinet indecoris morsusque, & jurgia famæ:
  Pulsa suo cessit gloria prisca loco.
Sublimes odit male nubibus edita fastus;
  Pœnitet atque astris implicuisse caput.
Illa ministerio turpi ne serviat, inter
  Quàm velit irriguas degere vallis aquas.
Quàm velit obscura latuisse voraginis alvo,
  Cæco, vi subiti turbinis, hausta specu.
Nam neque Dulichiis tantum nocuere carinis
  Ææis olim saxa ululata Lupis;
Nec juga, Belidę fraudes, Pyrrheia tantùm
  Horruit Euboico Græcia mersa Mari;
Infaustos apices quantùm, turritaque saxa
  Oderunt Latiæ, percita turba, Nurus,

Culmina dum natis trepidantibus impia monſtrant;
  Seraque dejectas vindicat ira domos.
Ergo ubi marmoreas evertere Tibridis arces,
  Conſtituitque Orbis diſſolüiſſe caput,
Culmen adit ſublime Nero; dignuſque Tyrannus,
  Qui frontem propiùs fulmina ferret, erat.
Innocuos citharæ nervos docet eſſe nocentes;
  Et placidum ſævo pollice torquet ebur.
Subruit aurato maternos pectine muros;
  Ariete pro duro mollia plectra vibrat.
Quæ nova Echioniis ſtruxerunt mœnia Thebis,
  Romula dum ſternunt, erubuere fides.
Præſtabat Romam Brenni procumbere ferro,
  Principis inceſtâ quàm cecidiſſe lyrâ.
Annibal infenſam levius ſæviret in Urbem,
  Punica ſi capto figeret arma Jovi.
Non Marius, non Sylla minax, non ipſe perire
  Optarit patriam ſic Catilina ſuam.
Sanguineâ ferus ille fuit ſpectator arenâ,
  Sævior è Turri ſed Citharædus erat.
Ergo cruentato diſcerpens pollice fila,
  Supremumque iterans exequiale melos,
Dum ruit in cinerem Imperii Regina potentis,
  Paſcit & immites Troja Latina faces,
Dicitur Iliacæ fatum ceciniſſe favillæ,
  Pergamaque Argolico depopulata rogo.
Ignes, dicebat, Danais victoribus ignes,
  Qui Phrygias olim corripuiſtis opes,
Cedite, Romanis pudeat nec cedere flammis:
  O formoſa oculis, flamma Latina, meis.
Alta tridentigero turgent quæ mœnia Fabro,
  Saxaque, Apollinea creſcere juſſa manu,

Vul-

Vulcano victore cadunt: cinis ipse ruinæ
  Testis non superest; ipsa ruina ruit.
Dardanii Regina Maris, tot clara triumphis,
  Occidit; et cinis est, quæ modò Troja fuit.
Neptunus jam nosse negat, quas condidit, arces,
  Et tua tu, Titan, mœnia nosse negas.
Procubuit pelago moles lapidosa ruinarum;
  Authorem repetit scilicet illa suum.
Vindictam de nube suam, saturosque furores
  Spectabat magni Sponsa, Sororque Jovis.
Juno, tuos nostris nos vincimus ignibus ignes,
  O formosa oculis, flamma Latina, meis.
Heu male nunc, septus numeroso vere Nepotum,
  De longa Priamus posteritate tumet.
Hectora Achillæis vidit pallescere telis,
  Imperii clypeus qui pereuntis erat.
Raptatur bigis natus sua mœnia circum,
  Heu non Hectorea mœnia tuta manu.
Pulverei largo distillant sanguine crines;
  Longa cruentatum scribit & hasta solum.
Vidit sanguineo fossum mucrone Politen,
  Et tumidum pueri cæde Neoptolemum.
Dumque Senex charæ luget divortia prolis,
  Osculaque à nato non repetenda suo,
Occupat undantem lacrymis, & multà gementem
  Æacides, multo cui patre corda tument;
Lapsantemque aris, & dudum aversa petentem
  Numina, ad Iliacas Numina surda preces,
Invadit frendens animis, & vertice in uno,
  Invidiosum Asiæ demetit Imperium.
Pugnatum gemino ignoscit sibi Græcia lustro,
  Ilion & & lentâ procubuisse morâ.

Inachiæ exultant Matres. Victoris acerbi
 Læta oculis Regni scena flagrantis erat.
Pulchrior at nobis Romæ est flagrantis Imago:
 O formosa oculis, flamma Latina, meis.
Funesto Europen, Asiamque senescere bello,
 Seque tumet toto Tyndaris Orbe peti.
O pudor! Argivos pellex Ledeia Reges
 Abiegni cæco carcere clausit equi.
Illa uteri reserat textum fatale sonantis,
 Non intellectos, Munera Graja, dolos.
Extulit illa manu signum, cum pinea furtim
 Claustra Mycenæos evomuere Duces.
Illa triumphales Rhœtea ad littora jussit
 A Tenedo tacita tendere nocte rates.
Et dum Priamides lethæo lumina somno
 Clauderet, incauto non referanda thoro,
Illa exarmatis thalamis inducit Atriden;
 Vulneribus certum signat & illa locum.
Illa oculos, quibus infidam male cœpit amantem,
 Et clausi solùm fata, necemque timent;
Illa latus niveum, nudataque pectora monstrat,
 Pectora non Grajam quæ coluere fidem.
Vulnere dumque ferit repetito uxorius ensis,
 Sustinuit trepidam forsitan illa manum.
Exaturata odiis sævas petit inde Mycænas,
 Et pandit placidis impia vela Notis.
Littora sæpe etiam lato Sigeia ponto
 Respicit, exitio littora clara suo.
Et procul audaces fruitur discurrere flammas,
 Strataque fumanti Pergama nube tegi.
Sed mihi densa magis condit Capitolia nubes:
 O formosa oculis, flamma Latina, meis.

Cur-

Currite victrices latè, mea gloria, flammæ;
  Plura hìc, quæ vester vindicet ignis, habet.
Ut graviùs sævire queas, imitare Neronem;
  Sævire ex odio disce, favilla, meo.
Balnea, Naumachias, Circos, Nimphæa, Columnas
  Dirue, quæ Pharius duxit ad astra lapis.
Exiguâ sua Templa morâ dum lapsa recumbunt,
  Demens ignavos noscat Agrippa Deos.
Desiluisse gemat Tarpejas Juppiter arces;
  Quique ignes jaculat nubibus, igne cadat.
Ira Jovis montes jaculis petat; ira Neronis
  Ipsum fulmineo vulneret igne Jovem.
Excisum flammis doleas ne, Roma, Tonantem:
  Est tibi, terrifico pro Jove, nostra manus.
Nunciet hęc pelago lacrymans incendia Tibris:
  Audiet attonitis Oceanitis aquis.
Verùm quâ Tiberis prænuncius ibit in undâ,
  Arsit si nostra Tibridis unda face?
Talia dum fatur, præceps depascitur ignis
  Pyramides, Thermas, compita, Templa, domos.
Omnia terror erant; pavor undique, & undiq; clamor;
  Mista jacent Juvenum funera, mista senum.
Conditur in nubem nigra ferrugine Titan,
  Testis & excidii funebris esse negat.
Exiguus vapor est longi labor improbus ævi,
  Urna ingens, Tiberis; maxima Roma, cinis.
Perfruitur lacrymis, & facta immitia laudat,
  Plaudit & incensa Claudius Urbe sibi.
Flammarum ut cessent incendia, perdere Romam
  Ex oculis possunt, quas jacit ille, faces.
Temperat argutas dum Teucria diruta chordas,
  Diruta septeno è culmine Roma ruit.

Altera dumque perit cantu; perit altera flammis:
Et fit bina levis perdere Regna jocus.

B. ALOYSIUS GONZAGA

Non ultra horam, dimensam Horologio arenario, jussus orare, de Nimia ejusdem celeritate conqueritur.

ELEGIA IV.

Clepsydra, delicias numerasquæ cordis amantis,
(Deliciæ numerum si tenuere meæ)
Clepsydra, siste precor: scelus est abrumpere vitam,
Quæ mihi libato dulcis ab axe venit.
Lentus arenoso procedit calle viator:
Ni fallor, celeres tardat arena pedes.
Et tibi pulverulenta via est; ne sperne monentem;
Semita præcipites non petit ista gradus.
Tu tamen inconsulta ruis; nec frenat euntem
Aspera quæ tenues stipat arena vias.
Quòd si non lentæ cumulus te terret arenæ;
Semita, qua graderis, terreat ipsa precor.
Arcta canaliculo tereti via contigit, & qua
Aera vix refluum tendere posse putes.
An te sustineat, malè qui fert aera, callis?
Aere num levior terra palustris erit?
Non onus ille feret sine lege fluentis arenæ.
Tutiùs ut pergas, Clepsydra, siste fugam.

Adde

Adde, quòd & vitreo decurris carcere; cautum
  Lubrica, qua graderis, semita poscit iter.
Anceps, crede, via est; & eget moderamine certo;
  Vix bene per longas carpitur illa moras.
Proficiunt nil vota. preces jactamus arenis;
  Gratia de sterili pulvere nulla venit.
Mitem animum saltem te vel fortuna doceret:
  Elusit cursus non semel illa tuos.
Sæpè interceptus globulis properantibus aer
  Deciduum, obstructo calle, fefellit opus.
Sæpè etiam, memini, nexu glomerata tenaci,
  Glarea suspenso substitit uda pede.
Aeris inclusi si lenta repagula desunt,
  Si tibi viscoso è glutine nullus obex,
Aera supplebunt nostri suspiria cordis,
  Et gemitus validi glutinis instar erunt.
His lacrymis, rivo quæ te nunc ubere pulsant,
  Sæpius ad nostras fleximus astra preces.
O felix gemitus, Superos qui flexit amicos;
  Infelix, qui te flectere non potuit.
Ergone quo toties potuit mansuescere Cælum,
  Ille tibi fletus despiciendus erit?
Clepsydra, durities multùm tua dissonat astris;
  A Domino discas mitior esse meo.
Dum fluis, & certa refluis vertigine, motu
  Irrequieta tuo te, reor, astra sequi.
Tempora tu numeras; numerant quoque sydera tẽpus.
  Cœlum, si nescis, clepsydra prima fuit.
Lex tibi, dum properas, servatur certa; nec unquam
  Prætereunt leges, suspicor, astra suas.
Astris hoc dispar solùm es: tu dirigis horas
  Pulvere, nativis ignibus illa notant.

Si-

Sidera quòd ſequeris, laudo; ſed ſupplice voto
  Servarent juſſas ſidera flexa moras.
Teſtis, Amorrhæos qui cæca ad Tartara Reges
  Ocyus invicta compulit ire manu.
Dum palmam Occiduus Titan abrumperet, ille,
  Sol contra Gabaon ne movearis, ait.
Audiit imperium lucis Sator; atque citatum
  Flammivomos curſum ſiſtere juſſit equos.
Infeſtas acies ut Joſua vincere poſſet,
  Ceu famulus, nitidam prætulit ille facem.
Non mihi vox præſto eſt, quæ ſummis imperet aſtris;
  Quò ducunt, potius me decet aſtra ſequi.
Solem alii ſiſtant: minimum eſt, Gonzaga quod optat;
  Pulveris exigui ſiſtere poſcit iter.
Nimirum liquidos illapſus Numinis, hauſtuſque
  Ætheris infuſi non capit hora brevis.
Votis tuque meis obſtas, Horaria moles,
  Non precibus limes prætereunde meis.
Cum Boreæ Alpini pennis ſublata tumeſcit,
  Pulvere littoreo concidit ira maris.
Tu quoque nectareum ſabulo livente coerces,
  Senſim dulce perit quo mea vita, ſalum.
Invide quid cohibes ultra mea gaudia pulvis?
  Quid reſidi ambroſias objice ſiſtis aquas?
Aggere quid tenui nectar pluviale retardas,
  Pectora quod lentâ mulcet aduſta face?
Quo meus Oceanus compelli finibus iſtis,
  Talia quo meruit crimine fræna pati?
Non hic molitur Libycos tranſcendere campos,
  Qualis cui celſus nomina fecit Atlas.
Non Peluſiaci demergere rura Canopi
  Ardet, ut elato dives Erythra ſinu.

Mil-

Mille per insidias non hic, per funera mille,
  Versat in immeritas noxia stagna rates.
Inficit ingratos latices non tristis amaror,
  Asperave incautam decipit unda sitim.
Hyblææ at redolent pennis humentibus auræ;
  Mellaque Pæstanis invidiosa favis.
Olli cur gracili metas præscribis arena?
  Cur levis hos animos, Clepsydra, pulvis habet?
Siste parumper iter: cursu quid nostra moraris
  Gaudia præcipiti? siste parumper iter.
Intervalla notas nostræ tu sedula vitæ,
  Dum legis angustam pendula sæpe viam.
Quàm timeo, sed rapta cito dum tramite curris,
  Nuntia ne mortis certa ferare meæ.
Nescio quæ lethi simulacra horrentia monstras;
  Quid dubitem? gelidus, quo fluis, ecce cinis.
Vita tibi est, quem pressa capit male dextera, pulvis;
  Est, brevis hospitium pulveris, urna duplex.
Hei mihi! jucundæ sperem quæ tempora vitæ,
  Si numerat vitam pulvis, & urna meam?
Heu! mea de fragili pendet fiducia vitro:
  Heu male fallaci spes mea nixa luto.
Flectere deberent te nostri incendia cordis,
  Clepsydra; de flammis nam tibi vita fuit.
Stridula cum longo fornax exuberat æstu,
  Mulciber obstructis increpitatque focis;
Carceris igniti gremio cunabula sudant
  Semper anhelantes tunc tibi clara faces.
Gutturis arguti te flamina docta laborant;
  Missilis & tepido temperat aura tubo.
Induis innumeras tunc flecti cerea formas;
  In quascumque niger jusserit ire Faber.

Sci-

Scilicet emollit docilem Vulcanius ardor;
  Teque regit nutu torrida flamma suo.
Ætna mihi est etiam, Trinacride clarior, Ætna;
  Illa minax noctes æstuat; illa dies.
Cyclopum exercet duros non illa lacertos;
  Sufficit irato nec fera tela Jovi.
Aurea sed notos hic tela refingit ad ignes
  Blandior, & toto clarus in Orbe Deus.
His ego te flammis, monitrix crystallina, pulso;
  Nostra sed eventu vota carere queror.
Effera divinis, nec te pudet, ignibus obstas;
  Mortalis tenui quam domat igne focus.
Vilibus ah pudeat docilem servire caminis
  Semper, & obscuro sumere jura lacu.
Te decuit nostris potius mollescere flammis;
  Purior in nostro pectore flamma nitet.
Ergo juvet celeres paulum suspendere cursus,
  Dum breve perspicuo tramite carpis iter.
Non ego diffiteor; gressu vitiosa moranti
  Diceris, & normâ degener ipsa tuâ.
Sed vitiosa juvas; tuus est gratissimus error:
  Non unquam tantùm recta placere potes.
Tempore quanquam alio tibi post reparare licebit,
  Blandiris modicâ quidquid amica morâ.
Cum mea nocturnus componet lumina somnus;
  Tempora fac citius lenta quietis eant.
Cum parcâ, de more, licet considere mensâ;
  Et dulci alloquio frangere sæpe diem;
Tunc fas est properes, quantùm cessaveris ante;
  Horaque delictum sarciat illa tuum.
Quin etiam è solidâ decerpas fœnora summâ;
  Et cape lucrosæ commmoda larga moræ.

De-

Demum, si gratæ spatium produxeris horæ,
  Hospite si liceat largiùs axe frui,
Pauperies me læta licet desponderit astris,
  Te tamen, haud dubites, præmia multa manent.
Vestiet Eoo dives te capsula trunco;
  Enodis nigro tegmine vestis erit.
Hinc, illinc secto teretes Elephante columnas
  Mentoreæ ponet sedula cura manus.
Pulveris exiguos bis ter revoluta meatus
  Tænia Sidonio murice picta teget.
Talia dum memorat GONZAGA, fluentis arenæ
  Explorat dubiam terque quaterque fidem.
Desierat, penitus collapso pulvere: nullus
  Et super, emenso tramite, acervus erat.
Obstupuit, doluitque simul: mox talia fatur,
  Attollens trepidâ vitrea pensa manu.
Substitit exorata mihi jam Clepsydra: sed non
  E desiderio substitit illa meo.

De

De ARGO Prima Navi.

ELEGIA V.

ILla ego, quæ Sylvæ fueram frondentis alumna,
  Chaonis, altisoni nuntia planta Jovis,
Ire profanati jubeor per regna profundi,
  Spumeaque irati verrere terga Maris.
Fronde super nostra Superûm responsa ferebat
  Cura Dioneæ candida Matris avis.
Sed volucris tales nunquam mihi præscia casus,
  Hæc nunquam cecinit fata sinistra mihi.
Saltibus umbrosis cum me Dodona teneret,
  Læta, fatebor enim, quàm mihi vita fuit.
Quàm mihi dulce, tuis, Atthis Citharistria, pœnis,
  Compare quàm, turtur, teque carente frui.
Pro modulis avium, stridens Aquilone procella
  Nunc formidatas sibilat inter aquas.
Ah piget è patrio tantum distare recessu;
  Ah piget antiquas deseruisse domos.
Non ego Pastores, urit cum Sirius agros,
  Messoresque coma luxuriante tegam.
Non ego, inexhaustos dum miscet Aquarius imbres,
  Ruricolæ hospitium prætereuntis ero.
Luctantes quoties ludicro Marte videbam
  Fagicolas Faunos, Capripedesque Deos.
Si Dryades celeri certarent ludere cursu,
  Lassarent molles & juga dura pedes,
Me metam posuere fugæ: haud ignobile signum,
  Si memini, turbæ deproperantis eram.

Quæ-

Quæque redit victrix de pulvere, pectore anhelo
Dispensat truncis oscula mille meis.
Et claros narrat, ramos complexa, triumphos,
Sertaque de nostra mollia fronde petit.
Terque leves choreas circum mea robora ducit,
Arguto terram plaudere docta pede.
Quin etiam nostra lætum Pæana sub umbra
Integrat, herbosa strata decenter humo.
Suspenditque mei crepitantia nbulia ramis,
Pulsa puellari nablia sæpè manu.
Hæc me, rupe super patria, fortuna manebat,
Cum nulla insanas noscerer arbor aquas.
Jure sodalitii cum te complexa tenerem,
Pinus, Mænalei cura decusque Dei,
Annosum non flexa caput rixantibus Austris,
Non pennis, Aquilo, victa, proterve, tuis.
Ah pereat quæ me primùm malè sana bipennis
Jussit ab invito procubuisse jugo.
Scilicet ut, Neptune, tibi nova bella moverem,
Mortis inaccessas ingredererque vias.
In remos abeunt virides, mea pompa, lacerti,
Queis olim pictæ delituistis aves.
Arva reluctantes scindunt Neptunia remi;
Carnificem ferio scilicet ipsa meum.
Erigor in malum; malus quoque dicitur arbor;
Heu male sic veteris nomina sortis habet.
Luxuries illi veterum non ulla comarum,
Nullaque lactenti cortice bacca tumet.
Dura superjecti solùm sunt germina funes;
Trochlea quos rapido ductilis axe rotat.
Servili ut ferrem tot stupea vincula collo,
Dicite, quo fuerim crimine visa nocens?

Ro-

Robora nec ferri desunt immania, frontem
  Quo rostrata ferit prora, gravatque meam.
Parte sed adversa puppis turrita minatur,
  Jura triumphato ceu daret illa Mari.
Hinc mea despicio campos, nova regna, liquentes,
  Regna loquor? casus metior inde meos.
Prominet hinc fidus certo moderamine clavus;
  Dirigit ambiguum per freta clavus iter.
Ponticulos memorem, carchesia, transtra, carinam?
  Ars est, & longus noscere cuncta labor.
An piceis Idæ, & medicatas cannabe rimas,
  An lento tostas eloquar igne trabes?
Alis curvarum jamque induor antennarum;
  Perque humeros errant carbasa, perque latus.
Jamque fugam in pelagus funes jussere soluti:
  Improba in æquoreas me vocat aura vias.
Aura, pruinosâ seu tu glacialis ab Arcto,
  Sole Cyrenæo seu magis usta venis,
Littore Memnonio seu roscida miserit Eos,
  Seu domus occidui te pretiosa Tagi;
Limine quo te cumque ferens mea lintea tendis,
  Aura, mihi semper flebile nomen eris.
Te plaga nimbosis Nasamonia perdat arenis,
  Æstuat Icarii cum magis ira canis.
Te, segnis niveos laqueat dum bruma Triones,
  Aspera Rhiphæo vinciat unda gelu.
Lilia cum violis, pubesque innoxia florum,
  Sint procul afflatu, tristior aura, tuo.
Gramina Echidnæo foveas tu tincta veneno,
  Thessala quæque nigro pollice carpit anus.
Te violens hortante mihi crudescit Orion,
  Et solvunt Scythicas Arctica plaustra nives.
Im-

Implicat horrenti cum nox caligine Cœlum,
Atra Therapnæas occuluitque faces.
Tu trepidæ monſtras ſquamis horrentia Cete,
Spumea quæ centum jugera mole tenent.
Undivoro liquidos revomunt ſeu gutture montes,
Præcipites imbres cum ſine nube ruunt,
Cæca repercuſſis ſeu plangunt æquora caudis,
Haſtatos humeris exacuuntque toros.
Sed me non facies tantum movet aſpera ponti,
Damnoſæ quantum cauſa pudenda viæ.
Non iter ignotum pelagi, me terminus urit;
Metaque plus pœnæ, quàm vagus error habet.
Oceani non mille queror diſcrimina; primùm
Quòd ſceleri fuerim velificata, queror.
Aurum meta fuit, quo non crudelius ullum
Ceruleæ monſtrum Tethyos arva colunt.
Scilicet, ut diro raperem vigilata Dracone
Vellera, Phryxææ nobile tegmen ovis,
Argivo Æſonius Ductor me remige cinxit,
Grajaque Phaſiacâ turba cucurrit aquâ.
Ergo fames vetiti juſſit furioſa metalli
Me ſalis æratâ findere Regna trabe?
Hoc erat, e patria quòd me deſcendere ſilva,
Carpere & invitam triſte coegit iter?
Hos, aurum ut fugerem, merui tolerare labores:
Illa lues tanti, ne peteretur, erat.
Heu male fœcundus labor! incrementa dolorum
Quærere monſtriferas quis furor inter aquas?
Quis furor, Argolici Juvenes, natura removit
Quas prudens, ultro ſolicitare neces?
Ut curſum (ſedenim vereor) Fortuna ſecundet,
(Nam ventis nullam ſuſpicor eſſe fidem)
O Opta-

Optata ut liceat tandem tellure potiri,
  Mitis & annuerit Colchica Regna Notus,
Vos tamen, obtento, quo jam pallescitis, auro,
  Fataque progeniem deteriora manent.
Tu primùm, qui puppe sedes, incaute magister,
  Conditus externa, Tiphy, jacebis humo.
Nec te subducet letho Tritonia Virgo,
  Moliris rabido, qua duce, fræna mari.
Tu quoque, cum dulces fodiet, tua viscera, natos,
  Ante oculos Colchis, dux Pagasæe, tuos,
A pelago remos cupies, pecudisque nitentis
  A spolio sacras abstinuisse manus.
Aurata ah pudeat mortem pro pelle pacisci;
  Splendidaque ad patrios damna referre lares.
Monstra feret secum, scelerumque examina, raro
  Quæ male scintillat bractea picta luto.
Cædis amor, trepidique metus, curæque sequentur,
  Quę ferient rostro tabida corda suo.
Caucasea leviùs religatus rupe Prometheus
  Lucida inexpleto vulture furta luit.
Mitiùs inque novem porrectus jugera, vasto
  Obscœnam Tityus pectore pascit Avem.
Hæc ego tunc miseris præsagia certa canebam; *
  Per mare sed monitus distrahit aura meos.
Plura locuturę stridentibus horrida nimbis
  Ingruit, & fœdo turbine sęvit hyems.

Assi-

* *Circa materiam primæ Navis non satis conveniunt Scriptores Veteres. Alii ex pinu Pelii montis; alii ex Dodonææ silvæ fatidicis plantis constructam affirmant. Hos Author sequutus est; quod commodius duxit, inducturus eandem Navim Vaticinia ferentem. Vide initium hujus Elegiæ.*

Affiliunt validi fluctus, freta cæca tumefcunt;
  Perfultant geminum ventus, & unda latus.
Semianimes oculis quærebant littora nautæ;
  Nullum, quod poffent prendere, littus erat.
Attollunt Cælo trepidantia lumina; Cælum
  Obfcuro nubes eripuere finu.
Omnia pontus erant: non ulla audire poteftas
  Imperia: infirmam fors regit una ratem.
Tunc celfa ftetit in puppi Rhodopeius Orpheus,
  (E numero Fidicen nam fuit ille meo)
Pallentefque metus animis, curafque levabat;
  Auditam faxis increpuitque lyram.
Pone minas, dixit; trifidæ fatis improba, Nereu,
  Lufit in immeritam cufpidis ira trabem.
Dodonæ facris fas eft nunc parcere tædis;
  Servare & fummo robora culta Jovi.
Fatorum te jura decet, Fratremque vereri,
  Quo minor, undarum fceptra fecunda geris.
Redde ferenatos, reduci Thaumantide, vultus;
  Implacidas cana difcute fronte minas.
Feftivos liceat Delphinas ducere faltus,
  Et læto celeres orbe referre choros.
Si conjuratæ redeant in clauftra procellę,
  Ambracis & placidum prora capeffat iter,
Perfolvet grates meritas Argiva Juventus;
  Immemor officii non erit illa tui.
Cum primùm curfu ditiffima rura fubibit,
  Quæ rigat arguto Phafidis unda pede,
Templa tibi faxo ftatuet radiata vetufto,
  Debita thuricremos & bibet ara focos.
Te rerum feret Authorem, pelagique potentem;
  Et primùm nobis, à Jove, Numen eris.

Sed tu, jactaris modò quæ discordibus Austris,
Æquoris infidi, panda carina, jocus,
Pone metus: sectum ducet tua nomina Cœlum,
Sidereas inter conspicienda faces.
Disce ingens nomen sortis bene ferre futuræ:
Ridebis trunci ludicra damna tui.
Hæc ubi fatus erat; subsidunt protinus undæ;
Compositi rabies detumuitque freti.
Dulcia tunc primùm didicit modulamina Siren,
Voce prius nullos promere docta modos.
Tunc primùm didicere levi Tritones in alga
Cærula rivali personuisse tuba.

DE VIRGINE DEIPARA

Sine labe Concepta.

ELEGIA VI.

EXul erat, lævo quæ condita ſidere, Mundi
  Prima Parens, fallor, prima Noverca fuit.
Exul ab imperio terrarum, & vere beato,
  A lacrymis exul non tamen illa ſuis.
Supplicium exercent animo ſua gaudia; tanto
  Unica de Regno cura ſuperſtes erat.
Scilicet hoc unum magna de ſorte relictum
  Eſt miſeræ, ſortis pœnituiſſe ſuæ.
Criminis illa memor dum fortè ſub ilice nigra
  Triſtis, ad Euphratis ſtrata jaceret aquas,
Umbræ, dicebat, cultę ſerpentibus Umbræ,
  Et ſuſpecta animo, tu quoque ſylva, meo,
Miſcete hanc animam tenebris nemoralibus, & me
  Nam merui, patriis aſſociate feris.
Ipſa Feras feci tigridem, fulvamque leænam,
  Quæ fera delictum non erat ante meum.
Paſcite me ſuccis herbæ lethalibus; eſcam
  Sufficiant diras gramina picta neces.
Vos ego lethales docui producere ſuccos;
  Infecit noſtrum vos, aconita, ſcelus.
Regnabam: Natura meis & ſerva tremebat
  Imperiis: cenſu divite, Mater eram.

Heu quota nunc nostri pars est, regnasse, doloris,
  Et, Regina olim, dicere posse, fui!
Hei mihi! præteriit ver illud amabile vitæ,
  Ignotum curæ cum mihi nomen erant.
Cum mihi nascentem, decedentemque licebat
  Obductum nulla visere nube diem:
Seu frontem intextæ tegerent violæque, rosæque,
  Sarcina per longas non onerosa vias:
Seu premerem, recubans ad amici murmura fontis,
  Cum cythiso flores, o Melilothe, tuos.
Tristia tunc nulli norunt suspiria venti;
  Nullus, qui lacrymis cresceret, amnis erat.
Non clades, non furta suo condebat amictu
  Fræna pruinosæ Cynthia noctis agens.
Nuncia nec luctus, sylvestribus horrida tectis,
  Increpuit stygio gutture carmen avis.
Solicitaret amor si me genialis edendi,
  Poma graves trunci, mella dedistis apes.
Sponte dabant fontes nativo è pumice nectar,
  Arida si lenis stringeret ora sitis.
Lumina cum premeret madido nutantia ramo,
  Adstaret nostras & sopor ante genas;
Non ego vitabam gelidas in vallibus umbras;
  Nulla soporatæ noxia taxus erat.
Informes larvæ, & diris pallentia formis
  Terrificant oculos nunc simulacra meos.
Sæpe, nefas! animo pomum fatale recurrit;
  Noctes sæpe meas noxius anguis habet.
Anguis erat, memini, nimis hic mihi cognitus anguis,
  Suspectusque oculis non semel ille meis.
Ille micans leves humeros, maculosaque terga,
  Cærula vernanti colla trahebat humo.

Tunc

Tunc ego debueram, ſtultiſſima, noſſe nocentem,
  Qui maculis ſolùm conſpiciendus erat.
Herbis cum tegeret pictam frondentibus alvum,
  Criſtatum dumis occuleretque caput,
Formidare dolos poteram, fraudeſque futuras;
  Non erat ingenuæ, ſic latuiſſe, feræ.
Fulgentes igni ſquamas, auroque tuebar,
  Miſtaque purpureis ardua colla notis.
Nec vidiſſe ſatis duxi: laudare nitentem
  Suſtinui demens, alloquioque frui.
Forte ſub arcanæ conſedimus arboris umbra,
  Quæ mihi cum gemitu ſæpè vocanda venit.
Oſtendit vetitas tangi, mea funera, fruges;
  Et, Dea, ſi rapis hæc munera, dixit, eris.
Munera promiſit; tribuit pro munere pœnam;
  Nec Dea, ſed Regno ſum procul ipſa meo.
Ter dextram juſſi pictum decerpere funus;
  Ter parere meis juſſibus illa negat.
O utinam, noſtri pars peſſima, cortice in illo
  Hæſiſſet ſubita falce reciſa manus.
Non ego in immeritos tranſirem pœna Nepotes:
  Noſtra nec in lacrymis naufraga vita foret.
Non ego mordaces quererer crudeſcere curas,
  Exilii recolens tædia longa mei.
Credula, flecte manum, dixi; ne crede colori;
  Subdolus in clades purpurat ille tuas.
Nativò non poma rubent male fida nitore,
  Conſcia ſed proprii ſic rubuere doli.
Sed jam contigeram male fauſti robora trunci,
  Robora magnanimâ non adeunda manu.
Tunc, memini, ſerpens criſta ſibi plauſit ovanti;
  Victriceſque humeris ter ſaliere jubæ.

Infandum! tunc ore dedit, trepidantibus auris,
Non audita prius sibila torva mihi.
Non secus intremui tunc crimine percita tanto,
Quàm si utero monstrum nixa repentè forem.
Occulto fibras lacerari vulture, & illo
Angue peti rebar, quo male capta fui.
Pomaque vix adeo primis libata labellis
Projeci iratâ comminuenda manu.
Non ego, quis fuerit sapor illis, dicere possum:
Tantus gustati criminis horror erat.
Ergo ubi tabifico riguerunt frigore membra,
Atque novus, pallor, sedit in ore color,
Ad rivum propero: sed non, velut ante, per herbas
Ille mihi puris serpere visus aquis.
Bis quater injectis perfudi guttura lymphis,
Expiet ora rigens si mea forte liquor.
Irritus humor erat, latices sparguntur inanes:
Vulneris accepti non erat ille locus.
Guttura tunc didici nullo vitiata veneno,
Corda sed admisso commaculata meo.
Heu! locus ille mihi nullâ est medicabilis undâ;
Euphrates non si, Nilus & intus eat.
Vos mihi, quas colui, sylvæ, vos, flumina, testes;
Vita mihi ex illo, pœna, metusque fuit.
Ante oculos semper trunci fatalis imago,
Ante oculos semper callidus anguis erat.
Et si fortè cavis colubri se tollere ab antris,
Et si visa oculis poma fuere meis,
Dicebam trepidans; angues, & poma timemus;
Hæc poma, & qui me fallat, hic anguis erit.
Ah! me ne rursum ad frugem vocet ille dolosam; &
Carpe novas, fracto gutture, dicat, opes.

Nec,

Nec, mea si tantùm illa forent, delicta moverent
  Me mea: de misera posteritate queror.
Sola nocens leve crimen eram; fecisse nocentes
  Debueram, & totum perdere sola genus.
Heu! quanta è nostro manarunt funera lapsu;
  Heu! quanta è stipulâ flamma suborta meâ est.
Quò mentis vetus ille vigor, quo nobilis ardor
  Cessit, & ingenii libera jura mei?
Nunc etiam, fateor, potis est assurgere Cœlo;
  Sed nutat pennis mens male tuta suis.
Nunc etiam sua fræna regit, flectitque voluntas;
  Vulnera nescio quæ sed tamen inde tulit.
Vim flammæ æthercam pondus mortale retardat;
  Ceu nebula radius sæpè nigrante latet.
Utque magis doleam, venturi præscia luctus,
  Sæcula prospectu metior alta meo.
Sæcula de duro feci queis nomina ferro;
  Nam bonus ex auro condidit illa Deus.
Quas animo clades, quæ bella minantia cerno?
  Percellunt oculos lustra cruenta meos.
Nuda ego nulla olim timui discrimina, quamvis
  Per medias agerem pectus inerme tigres.
Nati infelices! rigido vos tegmina ferro,
  Horridaque à sociis non satis arma tegent.
Ergone summa dies, quæ meta optabilis olim,
  Et votum emensæ debuit esse viæ,
Nunc jungit celeres non exorabilis alas,
  Languorumque nocens agmina mille trahit?
Triste satellitium, morbi comitantur euntem,
  Turba nocens, Dominâ turpior atque suâ.
Hæc redimi subito si possent fulminis igne,
  Quàm cuperem subito fulminis igne peti.

Hæc

Hæc redimi fuso si possent sanguinis imbre,
Quàm cuperem fuso sanguinis imbre mori!
Quòd si nec sanguis nostræ contagia culpæ,
Nec fera sidereæ diluit ira facis,
Ite; piate scelus non lento lumina fletu:
Non fuit ad culpam dextera lenta mihi.
Quòd si fortè recens lacrymas contristet amaror,
Ignotus vobis qui fuit ante sapor,
Dicite; vos melior, lacrymæ, dum vita manebat,
Gaudia deliciis elicuere suis.
Quòd vos inficiat gustu nunc degener unda,
Debetis Dominæ tristia damna meæ.
Plura locuturæ niveo super adstitit ore
Penniger ętherea lapsus ab arce Puer.
Credula, pone metus, dixit; do certa salutis
Pignora, ne dubita: credula, pone metus.
Errasti; atque humili victa es Regina colubro;
Errasti, in pœnas illecebrosa tuas.
Parta salus lacrymis; veniam suspiria poscunt,
Terraque de pluviis humida facta genis.
Imperio tua te Soboles felicior addet;
A stirpe at multum degener illa suâ.
Virginis, & Matris titulos lex junget Amoris;
Divinus quid non jungere novit Amor?
Ramosæ non illa feret contagia noxæ;
Nomina nec trunci noverit illa tui.
Quin etiam ferus ille anguis, spoliisque superbus,
Improba cui prædâ divite corda tument,
Sponsæ Nazaridos victus certamine, flatu
Turgida ventoso colla reflectet humi.
Virgineos etiam trepida formidine lambet,
Ad quos vel posset spontè jacere, pedes.

Ille

Ille referre velit greſſus in Tartara; puris
  Tartara ſub pedibus ſed graviora feret.
Gutture ibi rabido mordens fera vincula, nollet
  Jam veteres olim compoſuiſſe dolos.
Pœniteat monſtraſſe tibi lethalia poma;
  Pœniteat blandos ingeminaſſe ſonos.
Dixerat. inque leves fugiens evanuit auras:
  Anceps ſuſpenſo ſubſtitit illa gradu.
Mox geminas cum voce manus ad ſidera tollens;
  Pollice cum riguas tergeret uda genas,
Naſcere, dicebat, melioribus edita fatis;
  Naſcere, delicto nobilitanda meo.
Te mea felicem ſignabant crimina; felix
  Eva nimis, ſi te non eguiſſet, erat.
Hæc inter vigiles iterant ſua prælia curæ;
  Ad gemitus miſeram priſtina culpa vocat:
Terrarum laudat reparantem funera prolem;
  Se tanti cauſam funeris eſſe dolet.
Illam amet, an rurſum damnet ſua crimina, nutat;
  Stat compos voti nec ſatis ipſa ſui.
Illam amat; at proprio ſe ſe odit crimine; rurſus
  Atque illam, ſe ſe dum nimis odit, amat.

De

De Inventione Epistolarum.

ELEGIA VII.

Quas memorat, mendax sileat jam Græcia, pęnas,
  Tantale, sive tuas, sive, Perille, tuas.
Ore cruentato fibras populata perennes,
  In Tityi leviter viscera sævit avis.
Exhaustæ fundo levis est labor irritus urnę;
  Est leve perpetuis ire redire rotis.
Non diras Phinei volucres, Alchmæona dicam
  Non actum furiis, Amphiarae, tuis.
Ille dolor tauros vincit, volucresque, rotasque,
  Qui scindit, longus quos bene junxit amor.
O fera, quę charos absentia solvis amicos?
  Hęc pœna est oculis illacrymanda meis.
Angores alii cruciant, sed sospite vita;
  Qui procul abscedit, non dolet ille, perit.
Mors est, perpetuum à Sociis distare per Ævum:
  Si breviter distes, mors erit illa brevis.
Tempore, ab exanimi solùm distinguitur ille,
  Sustinet à sociis qui procul esse suis.
Quòd si vita manet, geminantur funera vitâ;
  Bis moritur, vita qui superante perit.
Hoc etiam letho distantia sævior omni est,
  Hoc super ingrati plus quoque fellis habet:
Mors rapit invitos, nec lex est libera vitæ;
  Sæpe rapit dulces vis inopina dies.
Quàm ferus est, qui spontè potest caruisse propinquis;
  Scilicet abscessu spontè perire suo.

De-

Demum fata ſemel mortales dura repoſcunt;
Et ſemel emenſum non iteratur iter.
Nos toties vitâ decedimus, abſumus ultro,
A patriis quoties digredimurque focis.
Pars Animæ eſt, vitęque ſimul, benè notus amicus;
Si non & vitâ charior, atque Animâ.
Sed novus, aſperiorque mihi Mezentius ille eſt,
Qui vitæ ſocium deſeruiſſe poteſt.
Corpora ſat fuit Ethruſco torquere Tyranno;
Huic novus eſt, animos diſſecuiſſe, furor.
Mitius in teneros natorum ſæviit artus
Littoris Ææi ſanguinolenta parens.
Mitius ignito laceros ſubjecit aheno
Tantalides natos, ſæve Thyeſta, tuos.
Ventoſum quotquot ſpatiis diſcernit iniquis
Vel mare, vel celſis invia terra jugis,
Occultis ſua corda gemunt tabeſcere curis;
Cum patrioque dolent luce carere ſolo.
Floridus Ethruſcis illum tenet Arnus in oris;
Hunc Phaetontæi detinet unda Padi.
Ille terit Latias, ſpe magna turgidus, arces;
Icariis alter per Mare fertur aquis.
Ille dolet, ſine corde invisâ vivere terrâ;
Vivere per fluctus hic ſine corde dolet.
Martis opus durum teneris dum Sponſus in annis
Ludit, inexpertas & bibit aure tubas;
Arma per inſomnes damnat crudelia noctes,
Ingrati conſors ſola relicta thori.
Conjuge inextincto, vitam profundit in horas;
Conjuge non læſo, vulnera mille refert.
Incertas dum quærit opes per funera mille
Inſtitor, Euboicas & trabe findit aquas,

Mœ-

Mœſta parens ventos, inimicaque cogitat aſtra;
Et procul à cæco fluctuat ipſa Mari:
Et natum, cui forte maris vis improba parcit,
Per vanos mergit ſępius ipſa metus.
Atque aliquis, ſeris redeat dum frater ab Indis,'
Conterit aſſidua littus inane mora;
Quotque videt, ſua vela putat; deceptaque ſæpè
Sæpius ad veteres mens redit ægra dolos.
Hi caſus aderant, trepidęque incommoda vitæ,
Nuncia cum cordis pagina nulla fuit.
Ingenioſus amor facilem nunc extudit artem,
Damna licet longæ quâ reparare viæ.
Affari & dulces alio ſub Sole ſodales,
Terra licet, mediis & vetet ęquor aquis.
Dura nimis ſimul eſſe negant quos ſidera, jungit
Candida ſecretas pagina ſcripta notas.
Area nam lino diſtenditur alba retuſo,
Quæ candore Indum vincere poſſit ebur.
Quales Urbs Ligurum Regina laborat, & omni
Membranas poſitis diſtrahit Orbe comis.
Inſtillata nigros hic fundit ſepia ſuccos;
Ille niger clarat nomina multa liquor.
Æquore lactenti doctus diſpergitur humor,
Dum facilis niveas ſulcat arundo vias.
Dimenſos rores nam cuſpide ſecta biſulcâ
Argutæ ad nutum prodigit illa manus.
Sed, celer extremas cum primùm contigit oras,
(Semita nam metam parva frequenter habet)
In caput illa ſuum, bis ter revoluta, recurrit;
Et ſimile, adverſa fronte, colorat iter.
Vivida quæ properè mens imperat, illa figurat,
Non Domini ingenio lentior ipſa ſui.

Pa-

Pagina, ſincerâ decoratum laude, Sodalis
Præfixum ſummo vertice nomen habet.
Inferius recipit nomen ſcribentis, & addit
Officii teſtes ima tabella notas.
In medio arcanos ſervat fidiſſima ſenſus;
Namque probat niveam candida & ipſa fidem.
Cum perfecta tibi conſurget Epiſtola primùm,
Sedula non tabulas complicet ante manus,
Quàm bibula humentes formas trahat ore papyrus;
Pulvis ad æquoreas vel tibi lectus aquas;
Fuſilis ingeminet madidas ne ſepia guttas;
Perturbetque notas multa litura tuas.
Collige tunc modicè flexas; Indoque tumentes
Molliter hinc, illinc comprime dente ſinus.
Hìc iterum ſignet jucundi nomen Amici,
Quòque jubes illam pergere, charta locum.
Hauriat Hiſpanas tunc demum teſſera ceras;
Et premat incumbens ſtemmata fixa chalybs.
Vivite felices péregrinis, vivite, terris,
O animæ fido ſemper amore pares,
Oſcula ſignatis & figite dulcia chartis;
Et ſint immeritò ſemper ab igne procul.
Pagina longinquis commercia nectit in oris;
Per terras tutum, per mare ſternit iter.
Audacem rigidas ſi juſſeris ire per Alpes,
Non timet annoſâ culmina tecta nive.
Si celerem jubeas Maſſylas tendere ſylvas,
Non metuit ſævas, fortior illa, tigres.
Imbre tumeſcentes rapido pede trajicit amnes;
Torrida & Icario permeat arva cane.
Cærula ſulcantem ventique undæque verentur;
Dant ſcopuli latum, monſtraque victa locum.

Illa dolet, si mœsta refert; si læta, renidet;
Illa metu languet; territat illa minis.
Ah quoties calamo casus inscripta sinistros,
Sæpius, heu! miseris lecta madet lacrymis.
Turpiter iratis digitis lacerata, pudendum!
Quæ non sustinuit crimina, sæpe luit.
Quod si festinet lætæ prænuncia sortis;
Tunc libant dulces oscula mille notas.
Tunc hilares plausus decies perlecta reportat;
Non oculis tantùm Persica gaza placet.
Quin etiam tectis, aulisque egressa potentum
Admovet externis regia jussa plagis.
Littera lustratum fert imperiosa per orbem,
Purpurei Reges quæ peragenda jubent.
Fœdera componit; populis dat jura subactis:
Atque rapit resides rursus in arma Duces.
Ille movet classes; præcingit & oppida muris;
Illa regit vires, sæve Gradive, tuas.
Atque eadem populos narrat, vulgatque per omnes,
Imperiis fuerant quæ properata suis.
Hinc, colat horrisoni ceu Roma Borysthenis arva,
Sarmata quid gelido cogitet axe, tenet.
Occidui hinc latebras maris, & Gangetica callet
Magnus in angustâ Regna Batavus humo.
Signatæ referunt tabulæ, quot millibus Istrum
Pannonicis felix Austria pulset agris.
Atque utinam, fatus Allobrogum de sanguine Ductor
Nescia dum vinci Cæsaris arma movet,
Procubuisse ferant Græcam non segniter Albam,
Unica Teutonici quæ mora Martis erat.
Per juga dum celeres saliunt Alpina tabellæ,
Æstus ancipitis discimus Hesperiæ.

At-

Atque utinam tua certa salus, Regũ optime, * solvat,
Quo trepidant, longo maxima Regna metu.
Summe Parens Superûm, tibi si sub Sole remoto
Solvit odoratos Regia dextra focos;
Tu quoque, Virgo Parens, sacræ quæ culmine pilæ *
Edita, Regna sinu mitis Ibera foves,
Cælicolæque omnes, tu primùm Alpheia proles, *
Hesperii custos, præsidiumque Soli,
Ah, prohibete nefas, quod nulla resarciat Ætas;
Ah, nimiùm tantus vel timor ipse nocet.

---

* *Carolus II. Hispaniarum Rex.*

* *Deiparæ Cæsaraugustanæ simulacrum à Pila dictum, innumeris per universam Hispaniam prodigiis, & beneficiis clarissimum.*

* *S. Jacobus Apostolus Hispaniarum Patronus.*

ELEGIARUM

LIBER SECUNDUS.

De Cedrina nostrate Arbuscula arefacta in Vase Testaceo, Borea per æstatem flante.

ELEGIA I.

TEsta mihi irriguo surgebat fictilis horto;
Ut brevis est hortus, sic brevis illa fuit.
Olli suppositus, quæ nostris vilia campis
Collucent solùm marmora, tophus erat.
Illa tamen, veluti nemoris Regina beati,
Subjectas horti despiciebat opes.
Hanc ego congestæ saturavi cespite glebæ,
Quam legit versa durus arator humo.
In medio è truncis sevi fragrantibus unum,
Quos longus Medo vexit ab Orbe labor.
Felices ramos nam Media sola ferebat,
Nec tellus raræ prodiga frondis erat.
Nunc vulgatus honos, & olentis copia plantæ;
Incola nunc facta est, quæ peregrina fuit.

Om-

Omnis nunc ſylva veſtit ſe divite tellus;
 Media jam campis invidet Oenotriis.
Nota procul nautis, multùm fragrantibus auris,
 Purpurat auricomis frondibus ora Ligur.
Cajetæ lucos inter dum ſurgit odoros,
 Dardaniæ felix urna ſuperbit anus.
Oſtentat late pelago flaventia poma
 Brutia Trinacrio diſſita terra ſinu.
Vidi ego luteolos oneri ſuccumbere ramos,
 Quà frontem Cœlo Pittia tecta * ferunt.
Quis fœtus referat varios, & Regia rura?
 Media Mediceo plurima colle viret.
Poma vides clivo prætenſa niteſcere, major
 Diſpare queis forma conciliatur honos.
Oblonga eſt aliis facies; tenuataque metas
 Orbiculo ſenſim deficiente refert.
Eſt levis cortex, & odor gratiſſimus illis,
 Et fibras medico turgida rore tument.
Pulchrius haud quidquã foret his; modo gibberis arcũ
 Excipias; formæ ſi tamen ille nocet.
Largior eſt uſus Calabra de ſtirpe creatis;
 Quæ viridis tenui cortice pellis obit.
Parva quidem; ſed nulla vacat pars ubere ſucco:
 Tranſpirat validus per latus omne mador.
Talia, piſcoſi relegit dum ſaxa Pelori,
 Navita Rhegino in littore ſæpè videt.
Sunt quæ fœtura ingenti ventroſa tumeſcunt;
 Et referunt ſegnem craſſa cucurbitulam.
Candidus exta cremor, lactique ſimillimus implet;
 Particulam liquidi vix benè mellis habent.

P 2 Ne-

* *Ædes Urbanæ Magni Ducis Etbruriæ*, vulgo *Titti*.

Nequidquam humentẽ manus exprimet irrita frugẽ;
In sua si minuas segmina, dulce sapit.
Tu tamen abstineas escam libare dolosam,
Si calor in venis non tibi multus erit.
Tu quoque, cui magnum fecerunt Bergoma nomen,
Vernas Bobboleis, suspicor, Elysiis. *
Desinit in conum simulator turbinis; illo
Gratior haud alius cortice manat odor.
Omnis honos, omnis cute summâ est gratia pomi;
Vilescunt fatuis interiora fibris.
Exemplo vitanda mihi sunt poma sinistro,
Quæ nihil, excepto cortice, laudis habent.
Non procul extollùnt frontem, Catalaunia tellus
Quæ mittit longo germina clara mari.
Est odor in pretio; sapor est non dulcior illo:
Sed sapit ille minùs, dum sapit ille nimis.
Lusiacæ fœtus sobolescit plurimus oræ
Aureus, atque suo concolor ille Tago.
Immites nucleis solabere dulcibus æstus,
Solicitat fauces cum sitis ægra tuas.
Fas erit inclusos cum cortice carpere succos;
Deliciis cortex non vacat ipse suis.
Quid dicam, fœtu quæ surgunt dispare, jactantque
Incertos ortus, ambiguumque genus?
Altera in alterius mores nam sæpe, notasque
Degenerant: vitio nobiliora putes.
Semina nam variè ludunt permista vicissim;
Ne careant monstris poma vel ipsa suis.
Aspera sunt; facili sunt & mollissima tactu;
Perlita sunt auro; sunt propiora croco.
Pars

* *Nobilissimum viretum, Magni Ducis Ethruriæ Ædibus adsitum, Vulgo Bobboli.*

Pars pompa gaudet sterili, nec idonea succo est;
Pars contra tristi nectare tota tumet.
Dulcia sunt passim; sunt quæ malus asperat humor,
Et sunt quæ medio mista sapore placent.
Quis referat morbis medicamina tuta? quis usus,
Germinis & varii nomina mille canat?
Sed mihi nec Ligurum colles, nec Pittia Tempe,
Aurea nec Calabro in littore sylva micat.
Testa mihi nemus: Autumni spes omnis in illa:
Plusquam Thessalicis hac ego dives agris.
Parvo dives eram, claris non invidus hortis,
Dulichias longùm qui tenuere rates,
Aut quos Hesperio vos primùm in littore amastis,
Raptos flevistis postea, Atlantiades.
Testæ cura mihi Colubro non tradita; custos
Angustas inter quid mihi tantus opes?
Frondes latratu fido servabat amicas,
Qui custos horti, Pellitigrinus, erat.
Doctior haud alius, fures arcere nocentes;
Hortetur tacitos nox licet alta dolos.
Hei mihi! quid toties tibi prodere gutture rauco
Latronum cæcas profuit insidias?
Abstulit en Boreas ramos, mea Regna, virentes;
Nec te degenerem sæva rapina notat.
Nam neque fur sepem conscendit vepribus hirtam,
Nec validam excussit postibus ille seram.
Grassator Getico venit de littore; damnis
Et fremuit toto conscius axe meis.
Testa perit, longos frustra mihi culta per annos,
Gloria jam, miseri nunc dolor Agricolæ.
Sæpè illam, memini, vicino fonte rigabam;
(Manat muscoso pumice lympha mihi)

Urna mihi fuerat Samio de glutine; centum,
  Quà via fit latici, secta foraminibus.
Sic facilis bene dimensam syphunculus undam
  Egerit; in numerum sic liquor omnis abit.
Nec jactus bibulas gravat inconsultus arenas;
  Et lactat teneram, non premit imber humum.
Explicat interea riguus spectacula turbo,
  Ramosas sypho dum jaculatur aquas.
Idem qui glebas, oculos quoque recreat humor;
  Blanditurque simul frugibus, & Domino.
Ergo, cadente die, cum jam Cythereius ignis
  Fulgurat, & niveos Cynthia jungit equos,
Ter circum viridem mihi ducitur hydria truncum;
  Et bibit algentes cespes odorus aquas.
Ast ubi Ruricolis sua munera dividit annus;
  Exercetque suus tempora certa labor;
Sarcula vel tenuem vertunt, mea jugera, concham,
  Et nitet inverso cespite putre solum.
Noxia tunc rigidæ morsus timet herba bidentis,
  Siqua nocens testâ forte suborta meâ est.
Vel juvat effœtas senio dimittere glebas;
  Lætaque mutata scrobs juvenescit humo.
Desuper immundam stipulam jactare solebam,
  Quam levis hædinâ corbula legit harâ.
Ipsæ sunt decori sordes; & poma salubri
  Ante diem veniunt exsaturata fimo.
Quòd si, nequidquam vanâ spectabilis umbrâ,
  Luxuriat pansis sylvula brachiolis,
Falce luit fastus, & castigata, modestis
  Lætatur fructu proveniente comis.
Sideribus primùm sed cum glacialibus annus
  Horruit, informi torpet & unda gelu;

Quæ-

Quæsieram densis intexta repagula cannis,
Ne teneras frondes læderet aura rigens.
Ipse, procellosas hyemes ne poma timerent,
Texueram facili stramina tuta manu.
In tegmen lento venerunt vimina sparto;
Venit & enodi scirpea virga sinu.
Tortilis hinc, illinc calamos firmabat agrestes
Arbutus, & rigui fontis amica salix.
Hæc ubi composui; cum primùm Aquilone moveri
Sylva mihi curvis visa cacuminibus,
Hinc, atque hinc modico curvabam stramina flexu,
Quæ firmant stabiles conçamerata sudes.
Rustica sic validos arcent umbracula ventos:
Admittunt nullos stragula fida metus.
Pandit inoffensos angusto tegmine ramos,
Et tepet invito tuta Decembre cedrus.
Sunt calami, clypeus; molles, munimina, junci;
Vallaque sunt, valli; pilaque sunt, paleæ.
Ac veluti, notas ubi littus monstrat arenas,
Præceps irati concidit ira maris,
Non aliter, conferre licet si maxima parvis,
Textilis Æolias tardat arundo minas.
Sed quid inexpletas pomis impendere curas,
Horrentem brumam quid superasse juvat?
Ecce meas evertit opes clementior annus;
Et, quâ non rebar, vulnera parte tuli.
Abstulit æstivus Boreas innoxia poma,
Poma, quibus toties sæva pepercit hyems.
Ante solum virides sparsim jacuere capilli,
Pompa colorati qui modò veris erant.
Tabuit exanguis tostis arbuscula ramis,
Umbraque de nudo stipite sola venit.

Poma verecundo pendent ingloria collo;
  Autumno nec quid polliceantur, habent.
Ut vidi! ſimul ut perii! me vita reliquit
  Credo equidem; & plantæ concolor ipſe fui.
Nec tamen abſtinui, ſi tunc quoque vita maneret,
  Quâ licuit, celerem ferre ſalutis opem.
Ramos ſolicita populatus falce rigentes,
  Scrutabar vitæ ſemina ſiqua forent.
Scrutabar fruſtra: vitium detonſa fatetur;
  Non illi robur, non vigor ullus erat.
Altiùs ad vivum deſcendit lamina ferræ;
  Findit & æquato vulnere utrumque latus.
Summa cadit; ſed, quæ remanet pars infima trunci,
  Vitæ neſcio quas arguit iſta notas.
Protinus exiluit mihi ſpe ſubita trepidum cor;
  Et, cedrus, exclamo, perdita vivit adhuc.
Nec mora: congeſta camporum ſorde fovebam
  Frugiferæ tenues relliquias animæ.
Cortice mox ſciſſo in fibras ferrata latentes
  It cuſpis, ſecto quâ via facta libro.
Advena per tenues tunicas ſe ſurculus infert;
  Dives adoptivo germine planta tumet.
Hæret funiculi nexu ramuſculus hoſpes;
  Ter quater in gyrum licia ducta mihi.
Glutine viſcoſo linitur rimoſa cicatrix;
  Ne vento, & pluviis victa fatiſcat aquis.
Sed blandita prius miſerum ſpes vana fefellit;
  Hei mihi! quàm modica concidit illa mora.
Poſtera tollebat currus Aurora; reviſo
  Germina ſolicita cum medicata manu.
Eloquar? exanimata jacent: mea pectora ſolùm
  Ut pulſent duro verbere, robur habent.

Exa-

Exanimi ſuprema dedi medicamina, luctus;
Si poſſet lacrymis fortè virere meis.
Sed lacrymæ à trunco diſcunt areſcere: plantæ,
Concinit extremas tunc dolor Inferias.
Inculta miſeros ſolabar arundine caſus;
Flebilibus modulis fiſtula triſte ſonat.
Invide, dicebam, Borea, quo pontus, & aer,
Quo merito tellus bella movente timet;
O, Furiis Erebi, quid mitia nomina quæro?
Fallimur; ò furiis exagitate tuis;
I nunc, & magnâ tumidus lætare rapinâ.
Quæ ſpolia ex illâ tanta fuere tibi?
Hoſpitium eſt, ſi vera fides, tibi Caucaſus horrens;
Durior es patriis ſed tamen ipſe jugis.
Illa, ni fallor, religatus rupe Prometheus
Lumina diſcerpto pectore rapta luit.
Cum ſis Japetidæ ſocius furtique, locique;
Pęna ſodalitio quòd vacet una, queror.
Rupe Promethæa, & laqueis tu dignior illis;
Dignior obſcæni vulturis ungue peti.
Crudelis, viliſque ſimul tu ſtipite rapto;
Clareſcit magnis ille latrociniis.
Æſtus erat, culmiſque graves Cerealibus agros
Torrebat multo ſicca Leone dies.
Sibila tu miſces, hibernaque frigora; Cœli
Eripis & Libycis fratribus imperium.
Si ſciat hoc Auſter, te prælia quanta manebunt?
Quanto, ſi ſciat hoc Africus, ore fremet?
Audiat hoc facinus reſono Pater Æolus antro;
Fœdera perpetuo carcere fracta lues.
Informis tibi ſervit hyems; cum vertitur æſtas,
Aeris imperium non tibi ſorte datum.

Tunc

Tunc Libyes animæ regnant; pinguesque novales
  Educat humenti quæ tepet aura Noto.
Tune pruinosæ squallens aspergine brumæ,
  Tu nive Parrhasia torpidus, arva colas?
Arva colant alii; Boreas fera bella sequatur;
  Aspera conveniunt moribus arma tuis.
Quòd si fraterni fines invadere Regni
  Est furor; & vetitâ te juvat ire viâ;
Sæviat Alpinas Boreas æstivus in Ornos;
  Terrificos reddant & nemora alta sonos.
Te decet indociles flecti convellere sylvas;
  Te decet insano bella ciere mari.
Quid tibi cum pomis Tyrio certantibus ostro?
  Non facit ad fastus testa petita tuos.
Cum Rodhope, cũ celsus Atlas, cũ Taurus,& Othrys
  Te tremerent, Cedrus victa triumphus erat.
Quamvis nosse prius te vilia furta sequentem
  Debueram; & mores edidicisse tuos.
Attica (sed raptus pudor est memorare profanos)
  Me poterat casus Virgo monere meos.
Degener haud solùm, furto es sceleratus eodem;
  Siqua tamen gelidus jura Tyrannus habet.
Fraude lacessitus nullâ mea germina perdis;
  Fraude, velim quæras, pectora nostra vacant.
Non ego te virgis petii, cum pinea claustra,
  Improbe, dirueres Pontis Achæmenii.
Non ego te, longi socium Maris, utre ferebam
  Inclusum, altricis tecta petens Ithacæ.
Non ego te vetui Neptunia verrere Regna;
  Nec dixi è mediis, *Quos ego!* torvus aquis.
Crimina quid memoro, nullo tibi crimine notus?
  Officiis notum me reor esse meis.

Quà tu Rhiphæa spiras glacialis ab Arcto,
Contigit angusto fornice cella mihi.
Ah quoties, Scythico concretas frigore pennas
Cum quateres, toto corpore dirigui.
Nec me pileolum juvat auriculare, nec ustas
Pensilibus manicis implicuisse manus.
Æquet nostra licet specularia flexile plumbum,
Et cerata licet pone papyrus eat,
Fræna licet duro succedant tertia ligno,
Additaque obseptum penula claudat iter,
Audiris tamen: audiris? non, improbe, cessas
Tristia cultori damna referre tuo.
Hinc, age, carpe fugam, socii me sæpe monebant:
Suspectum parcas solicitare Larem.
Ah fuge crudeles auras; fuge noxia tecta;
Si nescis, statio non habet ista fidem.
Perdidit Arctoum multos conclave sodales:
Tu caveas, ne te par quoque casus agat.
Ille (simul noti memorabant nomen amici)
Morosam hinc primùm rettulit Ischiada.
Ille ægris oculis viridi bombycina quærit
Panniculo; huic fauces tussis anhela quatit.
Collige sarcinulas, clamant; nec falsa monebant;
Doctus eram damnis vera monere meis.
Vitassesque utinam Borealia sidera, acerbo,
Optime amicorum, * funere rapte mihi.
Cum me, fallacis primo sub flore Juventæ,
Exciperet duro docta Stagira sinu,

Ille

* *Spectatissima probitate, doctrinaque Vir, Aloysius Gotus, Societatis Jesu, Authoris Præceptor in Philosophicis Disciplinis.*

Ille meo abstrusam scintillam in pectore Veri
Extudit, artifici nobilis Eloquio.
Ille mihi vitæ socius, morumque magister;
Fida mihi dubiâ fax erat ille viâ.
Ultima Lesbiaco caneiem cum carmina plectro,
Laudavit plectri carmina Lesbiaci.
Hei mihi! te tristes elegi, incultique manebant;
Materiesque novi carminis ipse venis.
Vergebas viride ad senium; cum dura repente,
O facinus! rapuit te Libitina mihi.
Funere tuque, rigens Aquilo, culpatus in illo,
Et quæ Sithonio sibilat aura jugo.
Saucia te Pallas flevit, te Suada jacentem:
Ingemere ad cineres nec modus ante tuos.
Sorte tua felix sed nunc colis arva piorum:
Non habitura vices nunc tibi parta quies.
Et me fallacis vitæ tot fluctibus actum
Deseris incerta per vada cæca rate.
Sed quò me tandem cineres rapuistis amati?
Ad Testam, heu frustra garrula, Musa redi.
Horto multus honos, Cedrus dum floruit; horto
Aruit hæc postquam, gratia nulla fuit.
Mœsta solo buglossa jacet, lacrymosaque cepa;
Mœstaque cum sociis intyba pimpinulis.
Jam mihi nec fatuis nunc albicat area rapis,
Turgida nec vili murice beta rubet.
Pro tristi eruca, sylvescit carduus horrens;
Pro levibus malvis, igne cremanda filix.
Emoriens Cedrus secum abstulit omnia. fallor;
Quid vano quereris funere, stulte dolor?
Desine jam falsæ, Borea, tibi nomine prędæ
Plaudere: non potuit cedrina virga mori.
Vivit;

Vivit, & in lucos mutata ſede receſſit
  Elyſios: horto paupere major erat.
Illa piis dignas ſpargit cultoribus umbras;
  Illa ſacrum grato complet odore nemus.
Non alia Vates, alia non fronde coronas
  Sæpè legunt fortes, Martia turba, Duces.
Illa Ducum rigidas ramis nunc ſuſtinet haſtas;
  Nunc Vatum dulces ſuſtinet illa lyras.
Vive diu, nemoris decus immortale beati,
  Non illi ſpecies deſpicienda tua eſt.
At, ſi forte Nucem videas conſurgere, puro
  Carmine Pelignus quam celebravit olor,
Filia ſis ſylvæ quamvis Atlantidos, illam
  Demiſſis, jubeo, devenerere comis.

B. ALOYSII GONZAGÆ
AD
CLAUDIUM AQUAVIVAM
EPISTOLA
Qua in Societatem JESU *petit admitti.*

Abſtinuit Author in hac Elegia à littera Canina, ut morem gereret nobili Adoleſcenti leviter blęſo, qui illam publicè dixit.

ELEGIA II.

DUx ò LOJOLIDUM, nitidæ cui conſcia vitæ
  Facta notat vivis nobile nomen aquis,
Pagina conveniat ſaltem te fida; ſalutem,
  Quà vacat & Dominus, nunciet illa tibi.
Ipſe tibi ſupplex veniam ne ſponte, moleſta
  Undique me ſeptum quæ tenet, aula vetat.
Te quoque deliciis olim fallacibus aulam,
  Aſtu quoque ſolet, detinuiſſe, puto.
Sed tibi de laqueis, quos nectit vana cupido,
  Fas fuit incautos explicuiſſe pedes.
Seceſſuque pio tutus nunc eminus undas
  Aſpicis, inſani damnaque mille ſali.

Quæ

Quæ ſignas exempla, ſequi mens poſcit; iniquum
Excutiant utinam languida colla jugum.
Illa dies Gangis gemma non divite, at ipſo
Illa mihi veniet ſole notanda dies.
Nunc ignava tenent me deſidis otia vitæ;
Illaqueatque ſuis mobilis aula dolis.
Quamvis nec deſunt qui bella, minacia bella,
Subjiciunt animo, non adeunda, meo.
I, pete, mox addunt, ſummæ faſtigia famæ,
Inclita quà magnos ſemita duxit avos,
Dum belli patiens ætas, dum læta Juventus,
Nobile dum pectus vividus ignis alit.
Aude aliquid, genus invictum quod pandat; avitis
Et pigeat palmis incubuiſſe latus.
Tu nova lux titulis, columenque accede vetuſtis;
Nomina tu gentis tolle, decuſque tuæ.
Incipe longinquum quæ Mantua mittat in ævum,
Et quæ fatidico Mincius amne canat.
Sed neque ſolicitat vano me fama tumultu,
Dives centenis ſit licet illa tubis.
Ambitio ventoſa manu nec ducit hiantem,
Attalicos faſces ſpondeat illa licet.
Nec me bella ſequi juvat exitialia, aheno
Nec clypeo dociles implicuiſſe manus.
Quamvis bella placent, ſed quæ Cocytius hoſtis,
Et toto Eumenides cum Phlegetonte timent.
Tu modò, ſi ſtygias mens eſt domuiſſe phalanges,
Me ſignis etiam, ſi vacat, adde tuis.
Conjiciam in medios utinam me cominus hoſtes,
Anceps quâ multo ſanguine pugna calet.
Non metuam jaculis impune volantibus ictus,
Non metuam jactas in mea damna faces.

Non

Non ego dissimulem: minimo sum commodus usu;
  Nec mihi, quæ tecum militet, apta manus.
Et passim lectos tibi novimus esse maniplos,
  Quos Cęlum palmis evehit usque novis.
Distendunt cum Sole manus felicia bello
  Agmina, disjunctis agmina fusa plagis.
Flos pugilum latè non cessat dulce Tonantis
  Gentibus edomitis imposuisse jugum.
Fusca comas Libye cælestibus abluit undis,
  Lætaque divini Solis ab igne calet.
Jam Ganges vobis, & Eous, fabula, Memnon,
  Caucaseo tellus cessit & usta gelu.
Felices acies, quotquot tua signa secutæ,
  Splendida magnanimæ nomina laudis habent.
Hæc ego suspiciam longè vestigia; & illis
  Me nulla æquatum conditione velim.
Ultimus accedam tibi miles, & agmina claudam;
  Dum liceat, ducunt quò tua jussa, sequi.
Me gelido statuas Aquilonis in axe; madentes
  Est animus galeâ sustinuisse nives.
Me statuas nimio Cæli flammantis in æstu,
  Quà calet assiduo Sole Libystis humus.
Est mihi quod flammas domet, & Titania pectus
  Spicula; nec fauces vincet anhela sitis.
Atque utinam, quamvis ingens audacia voti est,
  Eoas jubeas me petiisse plagas;
Pandit ubi Ganges Soli cunabula; totis
  Sed luget fœda nocte sepultus aquis.
Expiet effusus campis mihi sanguis in illis,
  O utinam! labes, India cæca, tuas.
Quid gemmis mendica tumes, & Gange beato?
  Hoc magis es, dives quòd tibi plaudis, inops.
O me

O me felicem, ſignum Cęleſte ſalutis
Si liceat Templis explicuiſſe tuis!
Quàm bene tunc lętum fodiant mihi ſpicula pectus;
Quàm bene tunc condat lumina ſumma dies.
Sæpius hæc animo tacitus ſitiente voluto;
Allicit atque oculos India multa meos.
Illa quies mihi ſola venit, mihi ſola voluptas;
Illa tenet noctes ſcilicet, illa dies.
Expanſis puppim velis quæ tendat ad Indos,
Sæpe meis oculis obtulit alma quies.
Sæpe mihi pelagi facies eſt viſa minantis;
Excuſſit ſomnos non ſemel illa meos.
Quin etiam, menti illudunt dum ſomnia, Gangis
Non ſemel ad littus viſus adeſſe mihi.
Exilui, optata tanquam ſtatione potitus:
Non habuit ſtatio ſed tamen illa fidem.
Annue tu votis; &, quo mens incita tendit,
Qui potis es, facilem tu mihi pande viam.
Hoc poſcunt oculi, mihi qui noctesque, dieſque
Fletu non unquam deficiente fluunt.
Quòd ſi miſſa notas confundit Epiſtola, noſcas
Illam de pluviis immaduiſſe genis.
Siqua movet pietas, Claudi, mea vota ſecunda,
Hæc modo ſpes vitam ſuſtinet una meam.

CLEOPATRÆ *morientis ad* OCTAVIANUM AUGUSTUM *Epistola*.

ELEGIA III.

IBis in Ausonias regalis Epistola terras?
An pudet Ausonias te quoque adire plagas?
Perge tamen: terras fugiat Cleopatra Latinas;
Suscipiatque meas terra Latina notas.
Elatam septemgeminis cum videris Urbem
Collibus, & Latium, pagina fida, forum,
Tu caveas Romæ fastus mirere superbos,
Ductaque sidereis æmula tecta plagis.
Quin jubeo dicas jactantior ocyus; astris
Celsior assurgit munere Roma meo.
Nostrum est, quòd duro niteant de marmore Templa;
Nostrum est, quòd nubes ardua signa petant.
Molibus illa nitens terrarum maxima Roma
Quid, sua si repetat dona Canopus, erit?
Quòd si Tarpejæ culmen lustraveris arcis,
Et trifido Latium qui rubet igne Jovem,
Ne paveas fatale jubar; majoraque, dicas,
Forti tela manu noster Osiris habet.
A Pharia demum te Regnatrice profectam
Nil demirari, nil metuisse decet.
A qua tu solùm, non quò mittare memento:
Atque hoc te monitam sæpius esse puta.
Verùm ubi Terrarum Domini perveneris Aulam,
(Cladibus exiliet, suspicor, illa meis)
Triste

Triste supercilium non te Victoris acerbi,
  Nec moveant fastu Regia tecta suo.
Mitia quin etiam ne captes tempora fandi,
  Sed quæ Victori sint dolitura magis.
Casus ille meos tunc perlegat, ægraque corda
  His urat demum pagina scripta notis.
Quam nos Augusto fugimus victore salutem,
  Mittimus Augusto: hæc vota vel hostis habet
Noscere si curæ est speciem scribentis, & ora,
  Quosque animos viduo in littore victa geram:
Dextra regit calamum, Libycum sed læva colubrum;
  Et dextra officio, lævaque digna suo est.
Non prius ista leges, quàm me properata sub umbras
  Mors agat, & casus vindicet una meos.
Hinc melius disces, quantam tu viceris hostem;
  Forsitan hæc audens & tibi major ero.
Quantùm animi nobis, tantùm tua gloria crescet;
  Hoc mage tu felix, quò magis ipsa ferox.
Forsitan & dices: quæ se generosa peremit,
  Non hæc, ut rebar, fæmina mollis erat.
Non est, quòd sperem te nostro ægrescere letho;
  Non est quod lacrymas hostis ab hoste petam:
Quamvis ex oculis largus tibi decidet humor,
  Uret & attonitus tristia corda dolor.
Nullus amor, sed mœsta dabit victoria luctus,
  Non tibi quæ numeris provenit aucta suis.
Hos ego sed fletus, atque hæc suspiria posco;
  Et te perpetuò sic doluisse velim.
Ni sic indoleas nostro de funere, lethi
  Perdideram causas, & decus omne mei.
Ante meos cineres, lacrymas qui fundat amoris,
  Si, mea lux, superas, forsitan alter erit.

Exprime tu rabidos commoto pectore luctus;
 Et me non pietas Cæsaris, ira fleat.
Has ego viperea lacrymas pro morte paciscar;
 Has exul Regno, cassaque luce, feram.
Nunc, mea depascat quòd viscera, gratulor, anguis;
 Altiùs inque sinus noxia pestis eat.
Tu quoque, ni fallor, partem trahis inde veneni;
 Teque anguis forsan sævius ille petit.
Transmittit Latiam generosum virus in aulam:
 Me prope, sed graviùs te procul ille ferit.
I nunc, & vano victam mentire triumpho,
 Tam bene quæ casus concidit ulta suos.
Quamvis nec Latiis (ne Roma superbiat) armis,
 Deferar ad Stygios, nec tibi victa, lacus.
Improba ventorum quam perdidit ira, marisque,
 A sola victam noscere sorte potes.
Sola regit varios per Regna liquentia fluctus;
 Sola procellosis imperat illa Notis.
Niliacis meminisse potes gemuisse carinis,
 Subque Parethonia Nerea classe tegi;
Actiacas per aquas Mundi cum sceptra natarent;
 Perque undas ingens luderet Imperium.
Judice Leucate, arbitrisque Aquilonibus actum est,
 Quâ Fortuna Orbis tolleret arce caput.
Sed proras favet illa tibi complexa Latinas;
 Ausoniasque rates dextra vehebat avis.
Læta Palatinas alnos Dea marmore ducit;
 Ad remos niveas admovet ipsa manus.
Ventorum famulas tibi commodat Æolus iras,
 Et servit Latiis tota caverna tubis.
Indulsit Romæ palmam Regnator aquarum:
 Æmulus est Nilo scilicet ille meo.

Extimuit spatiosum Amnem grandescere Nereus;
Par pelago, victor si rediisset, erat.
Ergo, dum sævæ vomuere incendia puppes,
Jussus & invito Mulciber ire Mari;
Hesperiis Phariæ pinus arsere favillis;
Nec reparat tantas Ambracis unda faces.
Cærula dum flammæ prætexunt, sydera fumus,
Una ego vix cæco sospes ab igne fui.
Quamvis quæ sine te, conjux miserande, ferebar
Fluctibus in mediis, non ego sospes eram.
Quid facerem ventis invisa, invisa profundo?
Abstulerant Regnum ventus, & unda meum.
Victorem sequerer, jam non Regina, Latinum,
Et premerem hostiles, sarcina grata, rates?
An fugerem, saltem vel sic habitura secundos,
Obruerant pelago qui mea sceptra, Notos?
Fortunam pudor est, dixi, mea terga videre:
Sed pudor à viso Cæsare major erit.
Me miseram! geminus mea nomina postulat hostis:
Victima Fortunæ, an Cæsaris esse ferar?
Augustum fugimus: Fortunæ cedimus hosti:
Sed me victricem Cæsaris illa facit.
Me pelago domitam mentiris, Roma; Canopus
Accedet titulis, non Cleopatra, tuis.
Non captiva tuos sequar illaqueata triumphos,
Vincta manus ferro vindice, vincta pedes.
Non me degenerem Regno Fortuna videbit
Ducere servili pensa Latina manu;
Romuleæ nec, sublatis per compita natis,
Monstrabunt, curru prætereunte, nurus.
Barbara, non dicent, Regnatrix Mempheos, illa est:
Nunc jocus, at nobis anxius ante timor.

Illa eſt, quam duro Sponſi dum Marte fatigant,
  Flevimus ad viduos, turba relicta, thoros.
Illice nos vultu prope perdidit illa: (Latinis
  Non ingrata oculis namque fuiſſe, reor)
Hæc ego non patiar pompæ ludibria, riſuſque
  Inter adulantes, Regibus orta, vehi.
Hinc miſerę ſubeunt vitæ faſtidia; Regno
  Et piget amiſſo non caruiſſe die.
Hinc ſupereſt animus rabidos tractare colubros;
  Nec pavet ad celerem pectus inerme necem.
Hinc angues verſat, gemmas, æquataque Regnis
  Pocula, quæ Sponſo diluit ante manus.
Tortilibus ſerpens circum plicat ubera nodis,
  Aſpera, ſed laqueos explicat illa meos.
Pectora ſordenti languent vitiata veneno;
  Purior ex illo ſed mea fama nitet.
Ne quæras, color inficiat num pallidus ora;
  Num tremat officio dextera functa ſuo.
Funeris optarim mihi tu ſpectator adeſſes;
  Non alio tantùm judice læta forem.
Fruſtra habitum victæ, morientis & ora requiras;
  Hoſtem laudares hoſtis & ipſe tuam.
Libertas animi eſt patrium redeuntis in aſtrum,
  Inſcia quod mortis nomine turba vocat.
Hæc via, nam memini, fortem in ſua fata Catonem
  Juſſit inoffenſum Cæſaris eſſe jugo.
Romanos Cæſar domat; hunc Cato: perdidit enſe
  Ille ſuo Romam; vindicat iſte ſuo.
Invictos cineres totis tegit Africa campis;
  Et funus reſonat nobile Maura Thetis.
Hæc exempla ſequar. favit Fortuna nocendo;
  Accumulat palmas, dum nocet illa, meas.

Cum

Cum Duce Romano, fateor, regnare negavit;
  Sed dat cum magno poſſe Catone mori.
Clarius at multo eſt, Fato periiſſe Catonis,
  Terrarum domitis quam dare jura plagis.
Plura loqui tecum conantem vita relinquit;
  Supremoque riget frigore noſtra manus.
Extremum adſcribo tandem tibi victa, triumpho
  Sed non ſervili te comitata, Vale.

B. ALOYSII GONZAGÆ

Somnium.

ELEGIA IV.

NOx erat, & dulces imitari ſydera ſomnos,
Otia ſi poſſent ſydera noſſe, putes.
Curarum domitrix, redimita papavere frontem,
Humida nox tacitos axe regebat equos.
Stellatum placido ſtipabant agmine currum
Pigra leves humeros ſomnia, pigra pedes.
Diſcolor eſt illis facies; nec fœdera certa,
Excipe quod nobis inſidiantur, habent.
Sunt aliis oculi triſtes, atrataque veſtis,
Demiſſumque nigra fonte ſupercilium.
Sunt, quæ fauſta ferunt hilari præſagia vultu,
Candida queis facies, candida veſtis adeſt.
Otia pars ſequitur; ſequitur pars altera bellum;
Illa jocos ſpirant vultibus, illa neces.
Multa metus vani, ſpes multa fatigat inanis;
Sunt, quæ ſceptra manu, ſarcula quæque gerant.
Turba levis blandæ ſerpit per tempora noctis,
Curarum inducias fallere docta breves.
Suppliciis animos exercet inanibus; ipſa
Ne fluat ingrato nuda labore quies.
Otia deſerto cum vomere carpit arator,
Sæpe reluctantem tùnc quoque verſat humum.

Dum

Dum clypeo somnum miles commendat aheno,
Æra, licet sileant, Martia sæpè timet.
Optatâ recubans & nauta potitus arenâ,
Quas jam deseruit, sæpè tremiscit aquas.
Fallaces ludunt per amica silentia larvæ;
Nec modus incertis est volitare modis.
Non requiem, requies dum possidet omnia, servant;
Noctem illis, vigilem suspicor esse diem.
Noctivagos inter Fratres nitidissimus unus,
Qui reliquos formâ vinceret, ales erat.
Gonzagæ cellam celeri petit ille volatu;
Occupat & nivea languida membra manu.
Mox Juvenis leve corpus agit per sidera; corpus,
Namque animus supra sidera semper erat.
Singula dum tacitùs lustrat Gonzaga, supernum
Fallit iter roseo penniger ore comes.
Inclite, dicebat, Juvenis, quem mascula virtus
Fatiferum terris eximit ante diem,
Sidereas metire vias, nunc hospes Olympi,
Civis post modicas, credo, future moras.
Regna vides, scopulis quæ non horrentibus Alpes,
Expansis geminum nec mare claudit aquis.
Italiam, Italiam clamet per cærula, quærit
Regna pererrato qui peritura Mari.
Gonzaga emensis conclamet sidera Terris;
Invideant Phrygiæ Regnaque nostra rates.
Principiò aereos aditus, vacua atria, lustra,
Immensum latas & per inane vias.
Scilicet hæc sedes auræ spirabilis illa est,
Carpitis ambiguæ quâ breve lucis iter.
Sed dulces haustus vitiant imbresque nivesque,
Æolii Fratres prælia quæque cient.

Hic

Hìc dum ſanguineo fulgens rubet igne Cometes,
  Algent ſolicito regia corda metu.
O pudor! humanos cohibet fax quantula faſtus!
  Territat exiguus fortia Regna vapor.
Altiùs evectis liceat pomœria Cœli,
  Atque vagas ſtabili lege videre faces.
Prima Hecate incertos vultus, maculiſque revelat
  Infectum, terræ proximitate, jubar.
Deſinit hic tellus potius, non incipit axis:
  Alternas regio non habet illa vices.
Nunc, tibi quos Orbis pandit verſatilis, ignes
  Suſpicias, oculis digna theatra tuis.
Splendida quæ toto ſparſit mendacia Cœlo,
  Quàm fuerit dictis Græcia vana, vides.
Non hìc Heſperii cuſtos Draco ſibilat horti;
  Non hæc Herculeus poſſidet arva Leo.
Non hìc, attollit pictâ dum ſidera caudâ,
  Pondere gemmanti vana ſuperbit avis.
Non eſt, Gnoſſiaci timeas quod cornua Tauri,
  Parrhaſiamque Helicen, Icariumque Canem.
Flagitioſus amor, ſcelerumque inſana cupido
  Tranſtulit ad ſuperas crimina veſtra plagas.
Scilicet exuerent ut turpiter acta pudorem;
  Alliceret radiis quæ Polus ipſe ſuis.
Quæ mora nam ſceleri fuerit, terrere nocentes
  Si quæ debuerant aſtra, nocere monent?
Dum loquimur, non tu Cęli revolubilis audis
  Dulciſonos, rapido quos ciet axe, modos?
Quales Iſmarii nec mendax gloria plectri,
  Æquarit partus, Calliopea, tuus;
Lesbiaco nec monſtra maris qui pectine flexit,
  Flectere vectorem non potis ipſe ſuum.

Dum

Dum rapit ad numerum celeres celer impetus Orbes,
Argutos reddunt lucida Templa sonos.
Dulcia sed vestros hebetant modulamina sensus;
Ut nimius vincit lumina vestra dies.
Te quoque, lux animo nebulas nisi tanta repellat,
Obrueret verso concitus axe fragor.
Hæc eadem, stabili surgunt dum lege, caduntque,
Imperium tacitæ signa secuta manus,
Tempora distinguunt, celeri dimensa rotatu,
Quæque vices operum, quæque quietis habent.
Hinc vobis volucres anni labuntur ab astris,
Lustraque, & effœto Sæcula longa gradu;
Longa, quibus fluxæ pars est modicissima vitæ;
Nam breve, quod tandem præterit, esse reor.
Figere vos terræ pudeat, quos orbe citato
Sidera dispensant, conficiuntque, dies.
Tempora si tanto gigni molimine nossent,
Prodigerent homines forsitan illa minus.
Nec fluerent horæ damnosa per otia; vitam
Queis tantus verso præbuit axe labor.
Desinit hìc demum quidquid longinqua vetustas
Solvere, vel fati vis inimica potest.
Obscuri imperium exercent non desuper anni;
Invida nil illic tempora juris habent.
Pura dies regnat, sed non habitura sequentem;
Nam noctis reduces non timet illa vices.
Innumeros annos in se collecta resorbet;
Perdit inexhausto sæcula longa sinu.
Immutata manet; spatio nec clauditur ullo
Orbita, fine simul principioque carens.
Forsitan & terras ex hac statione requiris:
Has sola magnas ambitione vides.

Eri-

Eridanum, Euphratem, Nili petis oſtia? Nilum,
Euphratem, Eridanum contegit umbra brevis.
Flumina quid memorem? latet hoc de vertice pontus,
Ut latet æquorea ſæpè lapillus aqua.
Ægæum, Ionium longe caligat: ab iſta
Quantus nautarum deficit arce timor!
Ipſe, jugo latè qui panditur Atlantæo,
Gutta eſt, quem vaſtum dicitis, Oceanus.
Ulterius vano pudet indulgere labori:
Ocius æthereis lumina redde plagis.
Hìc quoque Regna vides; ſed quæ non imbre cruento
Regnandi vecors irrigat uſque ſitis.
Hìc quoque fulgentes aurum diſcriminat ædes;
Sed pallet nullis aurea maſſa dolis.
Ver habet hìc etiam florum ſua dona; ſed Auſter
Hìc nullus vernas depopulatur opes.
Macte bonis animi, Juvenis: præſagia mentem
Grandia ni fallunt, tu quoque noſter eris.
Sed non illecebras, & inania vota ſequutus
Hæc inter Patrias Regna tenebis opes.
Bellum diſce pati, Juvenis: ſi caſtra requiris,
Digna reor, quæ tu caſtra ſequaris, habes.
Militat invictis Cœlo Lojola maniplis;
Hunc ſequere, & tantâ prælia diſce manu.
Pugnabis, magno non degener ipſe magiſtro;
Et domito prædas ex Acheronte feres.
Sidera victorem accipient; pugnaque calentem
Purpurei tollet nectaris unda ſitim.
Tempora ſi quæris (tempus nam torquet amantes)
Te noſtrum faciet, ſuſpicor, hora brevis.
Aliger hæc fatus dextram diſſolvit amicam:
(Namque prius ſocias implicuere manus)

Ex-

Excussus Gonzaga thoro, cur brachia laxas?
Cur dulcis fandi copia cessat? ait.
Sermo (credo equidem) paulum si tenderet ultra,
Me cœlo poterat detinuisse tuus.

Ad Paleas Bethlemii Præſepis, Infantis Divini membra contegentes.

ELEGIA V.

FElix, quæ Puero, dum bruma Aquilone protervo
  Sævit, inornatum ſternis, ariſta, thorum.
Ne querere, ingrati quòd languida ſolis ab æſtu,
  Tabueris, virides arida facta comas.
Ne querere, immites nudi meſſoris ad ictus
  Falciferæ morſu procubuiſſe manus.
Quòd te deſpiciat, non ullo fœnore lætam,
  Area, cum toſtis frugibus icta gemit,
Quòd per inane ferat te mobilis aura jacentem,
  Aut neglecta colas hoſpita putre ſolum,
Vilia ſufficias demum quòd pabula flammis,
  Quæ te ſola manent funera, parce queri.
Fortunæ indecores curſus dediſce prioris:
  Ad titulos Infans te vocat iſte novos.
Non te Coryciis vernat jactantior agris
  Ebria purpureo ſpica Ciliſſa croco.
Non te, Cecropio quæ nectare ſudat arundo,
  Non æquent ſtipulis Galbana rara ſuis.
Stirpe ſatus noſtra teneros aſpirat amores,
  Qui tibi divinus, tradita cura, Puer.
Tu Puerum ſpectas lactentes tendere palmas,
  Pectora dum matris captat eburna ſuæ.

Tu lacrymas cernis, queis non pretiosior ulla
  Cortice populeo succina gutta fluit.
Forsitan &, jugi fletu ne mersa fatiscas,
  (Sed potis es potius quo revirere) times.
Jam qui crebrescit querulo de gutture, pulsat,
  Quàm tibi, non ulli notior, astra sonus.
Forsitan & metuis, quæ per suspiria gliscunt,
  Ne te festinent corripuisse faces.
Siderei tu membra foves Infantis agresti
  Stramine; singultu te fovet ille suo.
Non illum angusti census, sors indiga rerum
  A te non illum poscere cogit opem.
Sponte datum credas, quantùm te noscis amari:
  Posthabuit Cœlum Parvulus ille tibi.
Ille queat molles inter recubare hyacinthos,
  Membraque in Hyblæa semper habere rosa.
Quin etiam Tyrio saturas de murice lanas
  Ille queat tremulis nectere brachiolis.
Sed non ille rosas, saturas nec murice lanas,
  Nec tremulis nectit coccina brachiolis.
Stamine pro molli, Phœnicum & vellere, legit
  Hic Puer è culmis stragula farta tuis.
Hinc nova sublimem tantùm te gloria tollit,
  Quàm despecta prius, nudaque laudis eras.
Sed meritas in amore vices tu grata repende.
  Quid sit amor, paleas nam quoque nosse puto.
Culmus amat, longo spicam dum stipite lactat;
  Densaque grana humeris dum quoque fulcit, amat.
Nunc quoque frumentũ electum, sub Numine parvo,
  Sorte tibi fausta sustinuisse datur.
Si tibi tantus amor frugis, quam terra creavit;
  Quanta immortalis gratia frugis erit?

Er-

Ergo, depositi si te reverentia tanti,
  Si tangit Domini cura, fidesque tui,
Fac venias Puero custos, columenque latenti;
  Et mollem niveo sterne thorum lateri.
Principiò stipulas socias æquare memento;
  Et, quâ sunt sectæ, parte jacere velis.
Cuspidibus non ulla rigens horrentibus extet;
  Nec nodosa gravi tubere promineat.
Grande scelus fuerit, membris lactentibus esse
  Si quæ præsidio debuit, ipsa nocet.
Aspera siqua igitur tactu est, & pressa remordet,
  De numero caveas sit, precor, illa tuo.
Mœreat illa suis exclusa sodalibus; æquas
  De nimia & pœnas asperitate luat.
Quòd si te pigeat tam duras sumere pœnas,
  Degenerem reliquis supposuisse potes.
Mitius ingenium flictu condiscet ab ipso;
  Quoque, invita licet, sic quoque prosit, erit.
Quamvis nulla, reor, fuerit, quæ, Numine viso,
  Duritiam nolit deposuisse suam.
Præcipue caveas, pungenti cuspide mordax
  Ne mala se sociis misceat herba tuis.
Absit, qui foliis noceat paliurus acutis;
  Mistaque vulnificis sordida lappa rubis.
Tempus erit, facinus!, sylvestribus horrida dumis
  Cum cingent tenerum serta cruenta caput:
Texta sed in virides, sine, tristia differat annos;
  Nec ferat ante suum vulnera tanta diem.
Hæc ubi solicitâ provideris omnia curâ;
  Ominor, excipiet te novus inde labor.
Instrue te nisus contra intractabilis anni:
  Impete te rabido sæva lacesset hyems.

Cer-

Cernis ut admittant multos spiracula ventos?
  Ut pateant pluvio rustica tecta Jovi?
Ergo, minax fœdo seu decidat imber Olympo,
  Seu glomeret densas algida bruma nives,
Te decet à Cunis arcere agrestibus imbres,
  A membris gelidas & repulisse nives.
Molle latus si forte rigens petit aura, caveto,
  Improba ne tenerum mordeat aura latus.
Sithonio Boreæ stipulas oppone frequentes;
  Lacteoli clypeus pectoris esse velis.
Quòd si fortè rapax sinuoso vortice turbo
  Ingruerit, veteres impuleritque fores;
Ocyus in cuneum densatos collige culmos,
  Et toto fortis surge satellitio.
Arida sis quamvis, omnique obnoxia vento,
  A Puero fortes vincere disce tuo.
Quem tegis, imbellis Puer est, & pectore nudo;
  Sed tamen imbellem Tartara sæva timent.
Forsitan & nimbos grassantes æthere miscent
  Tartarei, suadet nam vetus ira, Duces.
Ergo age, candidulum densis tege pectus aristis:
  Ingere collectam per latus omne struem.
Cum se Nazarea parituram Sede Puellum,
  Fixum animo ferret non temeranda Parens,
Stamine de tenui velamina pura, brevesque
  Texuit arguto pollice fasciolas.
Quin etiam senior Nutricius iste Tonantis,
  Qui latuit parva magnus in Æde Faber,
Struxit odoratis Nato cunabula truncis
  Cedrina, Virgineâ sæpè movenda manu.
Cumque sua fuerat meditatus conjuge carmen,
  Quæ Puero insomni Nænia prima foret.

Irrita ſpes miſeros luſit fruſtrata Parentes:
Tot curæ fructu nam caruere ſuo.
Dum Bethlęa ſpecus divinos excipit artus,
Præripit hanc laudem, Nazaris ora, tibi.
Nec Pater hic cunas, molles nexura lacertos,
Nec dare quæ poſſit vincula Mater habet.
Jamque diem nox fœda nigro ſubtexit amictu,
Nimboſaſque ciet ventus, & imber aquas.
Tu Puero rebus ſpes, & fiducia feſſis,
Tu nudo tegmen, præſidiumque venis.
Quòd ſi magna novæ tangunt te munera ſortis,
(Difficiles animos munera ſæpe movent)
Celſa feres tu dona; licet pietaſque, fideſque
Officii maneat te ſatis una tui.
Tempus erit, ſe ſe nimio cum captus amore
Induet in frugem Parvulus iſte tuam.
Virgineo quæ membra foves nunc reddita partu,
Triticeam pudeat non coluiſſe dapem.
Grande rudimentum ſortis tu ſume futuræ,
Prolude & frugi, dum licet, ipſa tuæ.
Illa teget Verbum, veniet cum firmior ætas;
Lactentes artus, quod potes, ipſa tegas.
Emeritam te dona manent ſed & altera: poſthac
Nulla, reor, poterit flamma nocere tibi.
Nam quæ te poſſint flammæ conſumere, vitam
Per te divinus ſi Puer, ignis, habet?

De

De Fiscella ab Alcone missa ad Larindum Arcadiæ Pastorem; in qua, super inducto, more Pastorum, caseo secundario, conditum erat Munusculum Cocolatis.

ELEGIA VI.

FIscellam, piger ad Solem quam texuit Alcon,
Arcadici nemoris sume, Larinde, decus.
Candida dona vides; nimis at ne crede colori;
Atque suos lacti noveris esse dolos.
Nectareum mulsum, & dulces ex arbore glandes
Mexiaca, lactis massa coacta tegit.
Pastorum majora focis ne munera credas;
Nec quæ ferre rudis corbula rite queat.
His ego crediderim Pastores frugibus olim,
Aurea cum fluerent sæcla, levasse famem.
Nam quas Chaoniæ, Saturno Rege, ferebant
Quercus, nunc arbor Mexica gignit opes.
Cur primùm dulcis nos fugerit esca, requiris?
Cur longo redeat rursus ab exilio?
Protinus expediam: cum nos Astræa reliquit,
Has secum fruges duxit ad Antipodes.
Sæcula dum rursus nunc Arcades aurea condunt,
Pristina cum priscis moribus esca redit.
Muneris at nostri ut proprios benè noveris usus,
E numeris veniet regula certa meis.
Ollam sume priùs, de rupibus illa Britannis
Stannea, de Cyprio seu magis ære placet.

R 2 Nam

Nam neque Paſtori veniat tam dira cupido,
Dives ut argento fulguret illa tibi.
Deterſu facilis, levi & nitidiſſima fundo,
E Samio fuerit quæ fabricata luto eſt.
Igneſcit ſedenim longo vix tempore, & inter
Concidit incautas ſæpius icta manus.
Sunt quibus arridet tenuato lamina ferro,
Ocyus admoto quâ nihil igne calet.
Ignibus ampullas nam queis committere mos eſt,
Vulcanumque vitro ludificare levi,
Sæpius hos præceps gula perdidit; ollula flammâ
Vindice dum medium diſſilit inter opus.
Sed tibi, ſeu claro nitet urnula munda metallo,
Seu veniat figuli deproperata rotâ,
Longula ſit; ſenſim ſed quæ decreſcat ab imo,
Turgida turbineum, qua decet arte, ſinum.
Adde levem capulum firmo de robore ſectum,
Ne lædat dextram fervida facta tuam.
Calluerint ut ſæpè, greges ductante bacillo,
Non tibi tam duras ſuſpicor eſſe manus.
Americum minuat dein lenta novacula libum:
Certus odoratas ſolvat acervus opes.
Cui cumuli prǽſcripta fuit brevis uncia, viſus
Ille mihi nimia Relligione capi.
Uncia ubi fluxit, non illi auctaria deſint,
Ut binas quiſquam dixerit unciolas.
Largior atque etiam, Siculo concreta redundent
Si melle Occiduæ munera frugis, eris.
Tunc etiam minimum ſapidę ſuperingere cannæ,
Si ſapis: Hiſpanam diluit illa dapem.
Hæc dum ritè paras, operi ſtudioſa Lycoris
Admoveat faciles, ſi vacat, ipſa manus.

So-

Sopitos primùm ſtipulis exſuſcitet ignes;
Sarmenta & culto vecta miniſtret agro.
Ventilet & tepidas hircino folle favillas
(Folliculum fornax ruſtica ſemper habet)
Qui ſi defuerit; concluſas pectoris auras
Prona vaporatis egerat ipſa focis.
Nec pigeat tenerum ſufflantem tendere pectus,
Nec pudeat graciles intumuiſſe genas.
Adde focò interea peluim, quæ neſcia rimæ
Dimenſas certa lege coercet aquas.
Cum domiti ſalient latices, æſtuque tumeſcent,
(Indicium fumo pervia rima dabit)
Secta minutatim, & tenui ſubſtrata papyro,
Dulcia tunc cautâ projice liba manu.
Cumque iterum primo ſe ſe ſublimior æſtu
Tollet barbarico dives odore latex,
Detrahe fumantem prunis ardentibus ollam;
Firmaque mellifluas menſa receptet opes.
Sed rores certum in numerum miſcere beatos,
Dentatamque ſua vertere lege molam,
Hoc opus, hic labor eſt: turbo, mora nulla, citatus
Per medios latices denticulatus eat.
Frange reluctantem repetito verbere lympham;
Vulneribus fiet nam pretioſa ſuis.
Verte fatigatis tornata haſtilia palmis,
In ſpumam flavum dum tibi nectar abit.
Dum ſublimis agit ſe concitus humor in auras,
Denſior & vegeto bulla madore tumet,
Summos paulatim rores ſpumantis aheni
Urceus excipiat, clara Saona, tuus.
Ditibus extremi mittunt ſua pocula Seres;
Mollis quæ dixit Murrhina turba Remi.

Ipſa etiam, Occiduis quas educat, India, ſylvis,
  Pocula Mexiacas mittit acuta nuces.
Has ſine lautitias alii, faſtuſque ſequantur;
  Culta eſt deliciis res ſatis iſta ſuis.
Olla tibi ad cyathum redeat bis terque quaterque,
  Mexiaci florem dum trahis inde favi.
Cumque erit ille ſatur, ſpumam ſuper ingere rurſus;
  Et ſine compactis ille redundet aquis.
Dulcibus incluſus ſe retibus induat aer;
  Atque velit longas carceris eſſe moras.
Suſpenſi exſuperent pocilla tepentia rores,
  Et toto gurges celſior orbe tremat.
Quam ſibi Bacchæi latices meruere coronam,
  Expetit hanc meritò Mexica lympha ſibi.
Aggere ſed celſo poſtquam cumulata pependit,
  Aſſilienſque hauſtus provocat unda tuos,
Carpe manu cyathum; caveas tamen excidat ille;
  Et bene firma regat pocula picta manus.
Namque ſecus tinges pellitum gauſape; quamvis
  Deterges facili, ſi quid adhæſit, aqua.
Damna ferunt graviora, quibus bombycina veſtis
  Intertexta auro, murice tincta, micat:
Aut queis nodata in rugam collaria pendent,
  Belgica quæ docto vulnere finxit acus.
Dulcia cum felix exſuges pocula, ſunt quæ
  Mergere odoratis cruſta licebit aquis.
Ingere paſtillum, longo qui duruit igni,
  Quemque dedit primo flore ſubacta Ceres.
Talia ceu doctis mittantur cruſtula Piſis,
  Audet Romano vendere verna foro.
Triticeas mergi ſpiras non laudo; ſaporem
  Degenerem inſperſus namque vitellus habet.
Hiſ-

Hiſpanæ hinc etiam non quæro ſiliginis offas,
  Quaſque, gemens longo Marte, Sabaudus habet.
Parcite ſanguineis, ò Reges, parcite bellis
  Italiæ immeritos dilacerare ſinus.
Serva eſt: heu miſeræ jam nec ſervire licebit:
  Italiæ an vobis ſola ruina placet?
Cogite, Paſtores, teneras ad ſepta Capellas,
  Si tamen in ſtabulis tuta latebit ovis.
Nam, quæ ſublimes arces incendit, & Urbes,
  Non parcet noſtris flamma, Larinde, Caſis.

AD
B. ALOYSIUM GONZAGAM,
Cum nullum lugendi finem faceret, quòd in maternum vultum oculos attulisset.

ELEGIA VII.

LUmina GONZAGÆ (si dici lumina possunt,
  Dejectæ frontis quæ pudor usque tegit)
Dicite, quo scelere infando, quo crimine tanto,
  Suppliciis cruciat vos Puer iste novis?
Innocuos pœnis exerceat omnibus artus;
  Pacem oculis saltem non neget ipse suis.
Aspera virgineum corpus dum lora cruentant,
  Pœnarum nondum est exsaturata sitis?
Non satis est duris inducere cingula setis,
  Auro, dissimulet quæ malè, texta chlamys?
Subdere & immerito lateri calcaria; tanquam
  Ille foret stimulis exacuendus amor?
Lintea quid dicam injectis vitiata lapillis,
  Asper ut occulta serperet arte sopor?
Quid dulces oculi tantùm potuere mereri?
  Contristat placidas cur gravis ira faces?
Illis debuerat generosus parcere tortor,
  Ut pęnas saltem cerneret ipse suas.

Sci-

Sciret sæva suę saltem sic vulnera dextræ,
  Quantus & à lacero corpore sanguis eat.
Sed Pueri pœnas quamvis miremur acerbas,
  Causa magis pœnæ suspicienda venit.
Intentata prius, nec nota piacula plectit;
  Culpa nec assuetos afficit ista reos.
Turpe, immane, ferox scelus est, vidisse parentem;
  Si scelus in visa matre subesse potest.
Imminet hinc oculis ultor noctesque diesque;
  Nec modus est nimia de levitate queri.
Horrificatque faces geminas; queriturque, quòd illas
  Spectata fœdas à genitrice ferat.
Quo GONZAGA ruis? fletu quid lumina perdis?
  Nil hic, quod præceps expiet humor, habet.
Tu cave, crudeles titulos, & nomina culpæ
  Sustineas, oculi qua caruere tui.
Lex tua dura nimis; nullis lex ista Tyrannis
  Cognita; crede, Puer, lex sine lege tua est.
Aspexisse vetas oculos, quod amare juberis;
  Et cui cor debes, lumina, dure, negas.
Incautis oculis irasceris ultor acerbus;
  Ingemis & longas in genitrice moras.
Dic, age, quos miserè lacrymis consumis ocellos,
  Tergere si vellet commiserata parens,
Tune piæ posses dextram removere parentis?
  Auderes tantum sustinuisse nefas?
Absterfisse oculos si mille per oscula poscat,
  Ora procul blandâ tu genitrice feras?
Lumina non igitur poterit tua cernere mater,
  Oscula queis centum figere jure potest?
Quæ tibi sola frui primùm cœlestibus auris
  Præbuit, illa dedit lumina bina tibi,

Cui

Cui non ambigeres vitam tu reddere, lucem
  Tu, ſcelus!, huic geminam reddere turpe putas?
Irrita verba volant: monitis non frangitur ullis,
  Averſaque preces reſpuit aure Puer.
Pœnitet; heu! multùm furioſi pœnitet auſi;
  Lumina, quò demens vos agit ardor? ait.
Lumina fæmineo pudeat conſiſtere vultu,
  Spectare æthereas lumina juſſa faces.
Tam citò vos Cæli, & patriæ cœpere nitentis
  Tædia? & æthereum dedidiciſtis iter?
Aſtra vocant oculos: oculi, niſi fallor, ab aſtris,
  Et de cognato lumine lumen habent.
Natura arcanâ conſanguinitate ligavit
  Aſtra oculis; ſociis ignibus inde micant.
Naturæ leges ſed lumina noſtra reſolvunt;
  Dediſcunt ſuperas lumina noſtra vias.
Natis Cælo oculis mortalem quærimus eſcam;
  Sidera luminibus deſipuere meis.
Ergone poſthabito nobis placet æthere mater?
  Illa oculos, Cælum quos ſibi poſcit, habet?
Aſpice, quos gerimus, clamabant ſidera, vultus;
  Inficit hos tacitis nulla ſenecta moris.
Aſpice, queis niteo, dicebat, lumina, Titan;
  Has potis eſt Lacheſis ſcindere nulla comas.
Anxia ſed fruſtra clamabant ſidera; fruſtra
  Poſcebant oculos Phœbus, & aſtra meos.
Quàm metuo, è Cælo mea ne quoque corda recedant,
  Inde oculi poſtquam corripuere fugam.
Incautum, fateor, me matris forma fefellit;
  Et caſus partem criminis hujus habet.
Sed pudet incautos etiam nos eſſe nocentes;
  Non facit ad noxas iſta medela meas.

In-

Incauti solùm norunt peccare: Tonantem
  Spernere, credo equidem, mens bene cauta nequit.
Non ego dissimulem; pietas mea lumina movit,
  Matris & ingenuus solicitavit amor.
Illa sed in matrem pietas si vera fuisset,
  Lumina debuerat figere nostra solo.
Matris in aspectu nativo debuit ostro
  Ora verecundus tingere nostra color.
Ille decet natum; matrem color ille veretur,
  Et quæ dejectâ gratia fronte venit.
Hoc demum fateor; claræ genitricis in ore
  Quæsierant solum lumina nostra Deum.
Ut Cælo auderent nostri se fidere Amores,
  Maternus bene nos erudiebat amor.
Namque velut dubii casus visura profundi,
  Littoreis primùm cymbula ludit aquis;
Sic quoque noster amor se per mortalia tollit,
  Perque suos scandit sidera celsa gradus.
Hoc quoque sed nostro solamen inane dolori est;
  Nec lacrymas titulus mitigat iste meas.
Siquis amans aliena in imagine quærit amantem,
  Inque suo lentas nectit amore moras,
Nescit quid sit amans; aut est vulgaris amator;
  Vix amor hic veri nomen amoris habet.
Ambages alii longas in amore requirant;
  At GONZAGA ipso in Numine Numen amet.
His oculis (obstat neque enim jactantia dictis;
  Intendit culpam quin favor ille meam)
His oculis opifex rerum mihi, nocte silenti,
  Virginea visus cum Genitrice Puer.
Quantus honos Nato fuerit, quæ gratia Matri,
  Irrita conanti dicere verba forent.

Illa

Illa mihi vitæ pars feliciſſima, nullus
Clarior atque illa Sol mihi nocte fuit.
Sed poſtquam tenues Virgo diſceſſit in auras,
Abſtulit atque oriens gaudia noſtra dies;
Tunc ego nil, inquam, poſthac mortale tuebor;
Non oculos patiar degenerare meos.
Oſtentare mihi Puero quid pulchrius illo,
Pulchrius aut viſa Virgine terra poteſt?
Vos etiam hoc, oculi, mecum juraſtis; at, eheu!
Nulla fuit vobis, & mihi nulla fides.
Nunc meritò largo vos imbre madetis; acerbus
Conficit & meritò pectora noſtra dolor.
Hoc etiam, triſtes dum ſæpe recurrit in horas,
Pectora ſolicito vulnere noſtra premit.
Infirmas animi recolens in corpore vires,
Tartareoque novos ſemper ab hoſte dolos,
Sæpe ego dicebam; mea ſi poſt devia recto
Per curvas erret mens male cauta vias,
Vos mihi, queis ſordes dolor eluat imbre frequenti,
Lumina, de gemino fonte feretis aquas.
Hei mihi! nunc oculis hæret nam crimen in ipſis;
Fons ille, ò facinus! ſordet uterque mihi.
Unde petam poſthac, qnæ crimina tergeat, undam,
Unda eſt ipſa oculis ſi vitiata meis?
Non ſatis eſt peccaſſe mihi: ſcelus abſtulit illud
Quæ fuerat, lacrymas, ſola medela mihi.
Ergo, quòd noſtros vitiarunt lumina fletus,
Perpetuò hoc ipſum lumina noſtra fleant.

BEA-

B. STANISLAUS KOSTKA,

Ad Fontem aſſidens, æſtuat deſiderio Patriæ Celeſtis.

ELEGIA VIII.

Tempus erat, torret ſitientes cominus agros
Sæva Cleonææ cum magis ira facis.
Herboſos tunc forte aditus, & tecta petebat
Frondea, Sarmatiæ gloria prima, Puer.
Languidus ille quidem Nemeæi ſideris æſtu,
Sed mage divino languidus igne flagrat.
Fons erat, illimi placidiſſimus ubere lymphæ,
Purior Arctoa, frigidiorque nive.
Mobile fontis ebur denſiſſima laurus opacat;
Perſpicuis viridans & natat hoſpes aquis.
Alludunt Zephyri circum, pennaſque micantes
Certatim irriguo mergere rore juvat.
Marmoreo acclinis reſidet dum Sarmata Fonti
(Nam nitidus Pario Marmore gurges erat)
Auræ, dicebat, quæ circum luditis, auræ,
Undaque de lacrymis creſcere docta meis,
Tenditis, heu! fruſtra cordis lenire favillas;
Ad noſtras humor non facit iſte faces.
Uror, & aſſiduus fibras depaſcitur ardor;
Eſt animi violens, credite, tortor, Amor.
Uror, at ipſa placent flagranti incendia; tortor
Heu! non eſt animi, dulcis at hoſpes Amor.

Vul-

Vulnera si numero, male quæ numerantur amanti,
Conqueror immiti spicula jacta manu.
Cerno laboranti dum vulnera ferre salutem,
Osculor immitem saucius ipse manum.
Vulnera, tela, faces patior; sed amare vicissim
Cogor, quæ patior, vulnera, tela, faces.
Qui, penna trepidante, fugit per gramina rivus,
Oceano tandem miscet anhelus aquas.
Rivus ego sum fonte procul; sed rivulus, eheu!
Oceanum numquam possidet ille suum.
Cervus, molle latus cui mordent spicula, tandem
Impetrat à medico fonte salutis opem.
Cervus ego, aurata confossus arundine; cervus
Sed non hic fontem, quo medicetur, habet.
Fœdam de terræ salebris non quærimus undam;
Nobilior tali nostra liquore sitis.
Non ego quæsierim fontem Dodonide sylva,
Extinctas memorant quo caluisse faces.
Fontibus augeri, non tolli pectoris æstum,
Exemplis didici sępius ipse meis.
Marmarico fontem nec littore sector, amaras
Cui procul à pelago fata dedistis aquas.
Quisquis mirari fontem nam sustinet illum,
Non oculos callet, suspicor, ille suos.
Nec te suspiciam, Euganea fons valle, tumescis,
Ut mare, per certas qui, residesque vices.
Nos etiam alternas nam sic jactamur in horas;
Sed labor est nobis longior, arcta quies.
Non ego naturæ memorem miracula, fontes,
Quot gignit vasto terra, fovetque sinu.
Effabor, cupiam quo fonte quiescere; fontis
Si mihi quæ pretium verba sequantur, erunt.

Fons

Fons est prata super semper vernantis Olympi,
Qui dulci æthereos ubere lactat agros.
Montanis nivibus non ille augescit, & imbri;
Nec lento Icarii deficit igne canis.
Non illum colit hospitio mollissima Nais,
Luxuriet virides quæ resoluta comas.
Virgineæ sed circum acies per florida rura
Exercent sociis ludicra sacra choris.
Sæpe rosis cingunt flammas imitantibus undas
(Purpureæ sacro sunt ab amore rosæ)
Sæpè etiam canis inspergitur unda ligustris
(Testantur puram pura ligustra fidem)
Externæ spoliis dives non ille rapinæ,
Furtivis solùm crescere discit aquis.
Inde alii potius norunt ditescere fontes,
Gurgitis & pretium nobilioris habent.
Auratis non ille fluit dum fulvus arenis,
Nomina sordenti dat pretiosa luto.
Ipse sed in pretio est, nudus licet effluat, humor:
Ducere nil sese dignius ille potest.
Fontibus è reliquis paulum sitis ægra levatur;
Languidus epotâ sed redit æstus aquâ.
Non iterum sitiet quicumque has hauserit undas;
Hanc de se fecit Fons, reor, ipse fidem.
Non Pelago, ut reliqui, pendit vectigal aquarum,
Ortus inexpleto quippe nec ille Mari.
Nondum prodiderat frontem natalibus umbris,
Exercet cæcas qui modò pontus aquas:
Imbre tamen saturo fons integer ille fluebat,
Principium cursus, author & ipse sui.
Utque magis clari stupeas miracula fontis;
Unicus effertur, trinus & esse simul.

Ter-

Tergeminos tamen in rivos non ſcinditur ille ;
Unda nec imminui prodiga facta timet.
Par trino thalamus, non impar copia roris;
Par undæ pretium lenè fluentis habet.
Noris & eſſe pares per prata virentia ripas,
Sed fallor: ripas non habet ille latex.
Alluvie exundans ſi ſeſe æquaverit illi
Oceanus, tanto nomine rivus erit.
Nomina ſi quæris (non deſunt nomina fonti)
Quo rapior, Deus hoc nomine nomen habet.
Fons ego ſum, memini, dixit; vitæque perennis
Non alio melius fonte alimenta fluunt.
Ah ego quàm vellem periturae munera vitæ
Mergere vitales naufragus inter aquas.
Informis terræ hoſpitium quid ſegne moramur?
Quid longo nimiùm plaudimus exilio?
Pars noſtri melior, divinæ concolor auræ,
Cur ſequeris lentas devia facta moras?
Plaudite: jam laqueis liber, novus hoſpes Olympi,
Non vetitos animus tendit ad aſtra gradus.
Jam mihi deſpiceris rutilanti, Phœbe, quadriga,
Qui nobis nuper ſuſpiciendus eras.
Jam pandunt Tempe ſemper vernantia flores,
Invida quos nullo frigore lædit hyems.
Quoque magis recreor, ſacri mea fontis ad undas
Siſtitur, æternùm non reditura ſitis.
Corporeis laqueis errat dum mente ſoluta,
Plaudit & optato ſic ſibi fonte Puer,
Excutitur tandem: virides tunc cominus herbas,
Et fontem, ſed non repperit ille ſuum.

ELE-

ELEGIARUM

LIBER TERTIUS.

Modulus Poeticus Pictæ Tabulæ

AD ARAM

B. ALOYSII GONZAGÆ

STATUENDÆ,

Propositus Andreæ Puteo Societatis JESU *Pictori præstantissimo.*

ELEGIA I.

PArrhasia, Faber, arte potens, quo vindice, morti
Exprobrat argutus splendida furta color,
Non semel exanimis per te si vivere tela,
Et si te didicit muta jubente loqui,

Nunc decet ingenii totos impendere nisus,
Promere secretas nunc decet artis opes.
Impiger hic animos, viresque, artemque fatiga;
Expleat hic numeros cura, laborque suos.
Strenua Gonzagæ tumulo conamina debes:
Dives Apellæas postulat ara manus.
Pulsantur Templo quà sidera Lojolæo,
Mantois surgit Manibus ara recens.
Illa tuis radiant spirantia templa figuris,
Quas nullâ violent invida lustra morâ.
Fornice seu celso totum Dux ignifer Orbem
Incendit; flammas nec capit ipse suas.
Europamque, Asiamque ignescere cogit, & oras,
Tendere per vetitas quò Ligur ausus aquas.
Ipsa, Hyperionios quæ torrida sustinet æstus,
Sole peti Libye se meliore tumet.
Apside seu summa passim languentibus ægris
Exhibet optatam commiseratus opem.
Non procul ipse jacens duro seu vulnere, surgit
Clavigeri nutu fortior inde Senis.
Ille etiam, latè fuso quà fulgurat auro,
Sanctior & clausum possidet ara Deum,
Vertice dejecto, delapsum Numen adorat,
Pollicitum castris semper adesse suis.
Atque hinc Xaverium Regnis largitur Eois,
Præsidium sceptris, Lusia terra, tuis:
Inde suis sociat Gandensem Heroa maniplis,
Dum pius ad sacros procidit ille pedes.
Quid dicam Tabulę textum prægrandis, ad astra
Quo non assuetâ tollitur arte tholus?
Insidias, Hospes, cælat locus ille, caveto;
Illuditque oculis ars operosa tuis.

Dixe-

Dixeris excelſa conſurgere fronte columnas,
Projectæ ſpatio quæ breviore jacent.
Si dubitas, paulum procede; en grande ruinam,
Quod prius eſt viſum ſtare, minatur Opus.
Caſus at ille juvat; disjectaque machina pilas
Commendat ſtantes; ipſa ruina placet.
Quid memorem fraudes, condit quas vertice ſummo
Mole minor ſurgens inſidioſus apex?
Ad Cælum credas ſpeculæ faſtigia tolli,
Vitreaque immiſſum reddere clauſtra diem.
Nec Cælo Moles, nec ſoli eſt pervia: ſupplet
Et Cælum, & Solem prodigioſa manus.
Verùm ubi marmoreos Templi diſcriminat arcus
Pila, quater geminâ curvaque fronte patet;
Regius hìc Paſtor ſtrato tumet hoſte; triumpho
Implicitus recubat victor & ipſe ſuo.
Non procul oſtentat læva Bethulis Amazon,
Stringit & Aſſyrii colla cruenta Ducis.
Parte ſed adverſa generoſo tempora clavo
Fæmina tranſadigit, Dux Chananæe, tibi.
Hoſtes dumque fugat Sampſon, ignobile telum
Vincit in Iſacia fulmina mille manu.
Tu quoque Gonzagæ, quà tollitur ara micanti
Fornice, ſolicitæ prodigis artis opes.
Quantus honos Juveni? ſeu ſidera celſa tenentem
Suſpicit Ethruſci, gloria, Virgo, ſoli.
Seu Puerum ſacro Myſtes ſpectabilis oſtro
Siderea primùm firmat, alitque Dape.
Divina cum Prole Parens ſeu multa precanti
Annuit, ad blandas æthere lapſa preces.
His formis radiata nitent faſtigia: telis
Ara tuis ſpatio ſed potiore vacat.

Area Gonzagæ poſcit ſimulacra , columnas
  Bis geminas inter quæ ſpatioſa patet.
Ipſe rudi modulum ſtatuam tibi carmine ; laudem
  Pieris hanc poſcit Relligioſa ſibi.
Principiò , ut nitidis elatos molliter alis
  Sidereos Juvenes ſępe referre ſoles,
Pinge pares vultus ; aulæ ſtellantis Ephœbis
  Moribus , & vultu concolor ille fuit.
Illuſtres atavos , non inficianda parentum
  Magna coloratâ nomina fronte legam.
Sed neque nobilitas rugas , nec gloria faſtum ,
  Nec jactet clarum turgida forma genus.
Nobile deſpiciat potius nomenque genuſque ;
  Sed promat , ſic dum deſpicit, illa magis.
Sublimi figas hærentia lumina Cęlo,
  Et teneant rectum , quò rapiuntur , iter.
Ipſa viam invenient, male quam color obſtruet ; illas
  Cognatas aſtris ſuſpicor eſſe faces.
Alternis noſcunt ſe motibus illa : vetuſti
  Neſcio quæ jactant jura ſodalitii.
Gonzagæ ſpeculum ſunt ſcilicet aſtra ; viciſſim
  Aſtraque in his oculis , quo videantur , habent.
Ergo jubar geminum patriis , Faber, hæreat aſtris;
  Tendat & ad metam flammula bina ſuam.
Aera per medium ludant hinc inde favillæ,
  Mutuus & celeres quò rapit ardor , eant.
Quò tendunt oculi , flagrantia membra ſequantur ;
  Affectent ſuperam brachia tenſa viam.
Appoſitè hinc , illinc niveos diſtende lacertos ,
  Et medio elatas aere finge manus.
Vibret anhelantes Amor intus , & allevet artus ;
  Et (ne ſolicito te morer Eloquio)

Cor-

Corpore fac viſo dicat ſpectator ; ad aſtra
Nunc abit , & telam deſerit ille tuam.
Nigra chlamys, ſed membra nives imitantia condat,
Et lambat teneros officioſa pedes.
Qualem nempe ſuæ geſtandum Inſigne phalangi
Cantaber æthereo dictus ab igne dedit.
Sed niveum niveo dirimat velamine pectus
Carbaſus , affuſo ludere docta ſinu .
Diſtinguat geminas manicis bipatentibus ulnas ,
Flexilis & ſummo poplite limbus eat.
Ultima ſed luſus varios ubi tela receptat,
Areaque ingenio panditur ampla tuo ,
Inſtrue lucidulos Aulæ Cæleſtis Alumnos ,
Et ducat ſocios læta Juventa choros.
Fibula cæruleos Melibœæ veſtis amictus
Vinciat , à multo fibula Gange nitens.
Nec pigeat molles ſaturare coloribus alas ,
Quales imbre madens diſcolor Iris habet .
Nec parcas Phrygiis innectere crura cothurnis ,
Crura recens jactâ candidiora nive .
Gratia candidulos commendet multa lacertos ;
Commendet roſeas gratia multa genas .
Scandit Aloyſius panſis dum nubila palmis ,
Aſtraque librato corpore ſumma tenet ,
Subjiciant humeros alii ; nudataque ſubdant
Brachia : non illos dulce gravabit onus .
Adſint ſidereis dudum properata viretis
Qui teneræ fronti laurea ſerta ferant.
Attollantque fides , & dulce ſonantia plectra ;
Spectator lætos ut bibat aure ſonos.
Pars , illibatum Juvenis teſtata pudorem ,
Adſtringat molli lilia cana manu.

Cingula pars setis horrentia gestet Equinis,
Ad teneros artus aspera texta nimis,
Et flexum in pœnas chalybem, nimiumque severis
Retia suppliciis denticulata ferat.
Adde simul rigidos torta de cannabe nexus;
Imbuat effusus loraque dura cruor.
Picta licet sit pœna, licet non tangere possit
Agminis Ætherei libera corda dolor,
Aligeri horrescant tamen Instrumenta dolorum;
Gonzagæ gratus quæ modò ludus erant.
Imperii demum præclarum insigne Paterni,
Ad teneros jaceat strata Corona pedes.
Promat inocciduos terræ dejecta pyropos;
Clarius & spreto in stemmate finge jubar.
Sed quid ego adjiciam, Pictor, tibi plura? videtur
Jam mihi, quam finges, lucida tela loqui.

DIVÆ MARIÆ MAGDALENÆ

Ad Chriſti Domini tumulum Queſtus.

ELEGIA II.

UT volat ad medicos, celeri pede, cerva liquores,
Cui ſublime tenax mordet arundo latus;
Non aliter ſacri confoſſa Cupidinis arcu,
Et non mortali pectus aduſta face,
MAGDALIS amiſſi quærebat Numinis urnam,
Lutea cum roſeo ſurgeret axe dies.
Sed poſtquam vanis pulſari ſaxa querelis
Senſit, & ad blandas marmora ſurda preces,
Invide redde lapis, dixit, quæ pignora ſervas,
Dilectos cineres invide redde lapis.
Heu! vanum eſt miſeræ tumuli tentare latebras;
Quòque magis cupio cernere, nullus adeſt.
Numinis extincti fuerat queis tradita cura,
Tactu ſaxa rigent: & meus ignis ubi eſt?
Obvia, vere novo, flores per prata renident:
Noſter ubi flos? quo vere renidet? ubi eſt?
Sola per ignotos propero, heu! male ſola, receſſus;
Fidus ubi Ductor? qui tueatur, ubi eſt?
Orta recens Aurora comis radiantibus agros
Pingit inauratos: & mea lux ubi, ubi eſt?
Nec fallor tumuli ſpecie; nam candidus ille,
Et prope, ſi memini, mœſta cupreſſus erat.

Ecce lapis nive candidior; tristisque cupressus
Hic quoque coniferas explicat ecce comas.
Saxa, heu! saxa, rogo, Dominum vidistis? amicos
Vocibus his saltem reddite saxa sonos.
Marmora crediderim Juvenes in amore juvare:
Marmora noverunt ipsa, quid esset Amor.
Isacias turmas nam cum sitis ægra teneret,
Non expectatas, saxa, dedistis aquas.
Desertis cum longa fames torqueret arenis,
Cælesti immaduit nectare dura silex.
Verùm quid veteres lapidum memoramus amores?
Et laudes longâ ducimus usque morâ?
Rupe super tristi cum funere mersus acerbo
Occideret, Dominus qui mihi solus erat,
Tristia montanæ senserunt funera cautes;
Abscidit & tantus saxa vel ipsa dolor.
Dicite nunc, qua parte latet, quem luce carentem
Disrupto flestis commiserata sinu?
Ibo, & odoratis perfundam vulnera succis.
(Sunt mihi quæ dives balsama mittit Arabs.)
Fas mihi sanguineas nardo tergere lituras:
Mille pedes referent oscula, mille manus.
Quòd si vesanus rapuit mea pignora miles,
Et cineris custos, proditor ille fuit;
Dicite quò rapuit; prædam quibus abstulit oris;
Dicite, quas ditat tanta rapina plagas?
Quæram, quà nimio tellus Phaetonte calescit,
Quaque pruinosis bruma senescit agris.
Tristis, sola ferar totis circumvaga sylvis;
Tardabunt celeres littora nulla pedes.
Non me suspectæ nemorum terrebitis umbræ;
Ultro per medias est amor ire feras.

Non retrahent cæcas ſuperantia flumina ripas;
  Non juga ſylvoſis ardua verticibus.
Forſan nulla ſilex noſtro manſueſcere queſtu,
  Nulla velit lacrymis non tepuiſſe meis.
Verùm, me miſeram! vanis agor anxia curis;
  Extinctâ ſupereſt nulla ſalute ſalus.
Quàm timeo, ductor ſi deficit ille, revolvar
  Criminis in vetitas ne male ſuada vias.
Hei mihi! qualis eram cordis cum libera noſtri
  Frena Citheriacus flecteret uſque Puer.
Per loca ſenta ſitu, per monſtriferos Mæandros,
  Cum raperer cæcum cæca ſequuta Ducem.
Infeſtis præceps cum ſemita ſurgeret hydris;
  Atraque nox anceps horrificaret iter.
Ille manu prenſam tulit in ſublime; piaque
  Edocuit certum voce ſalutis iter.
Namque thoro, memini, cum forte recumberet ille,
  Sufficeret varias menſaque lauta dapes,
Fercula non illum culto cœpere paratu;
  Cœperunt lacrymæ, fercula grata, meæ.
Cœpiſtis flexu indecori per colla ſolutæ,
  Gloria tunc primùm noſtra, decuſque, comæ.
Et vos quæ latè Tyrios ſpiraſtis odores,
  Jugiter ad ſacros Myrrhina fuſa pedes.
Affatus placido vultu tunc ille gementem,
  Vultu quo nobis clarior orta dies,
Soſpes abi, dixit; do certæ pignora pacis;
  Rite venit tantâ Pax tibi parta fide.
O niveam, quæ tanta dedit mihi gaudia, lucem!
  Cum veniam noxę promeruere meæ.
Illa meas reſonat vox pervia ſemper ad aures;
  O Pax, Hyblęis dulcior una favis.

Hoc

Hoc ego perpetuo mansuræ pignore pacis
  Solabar casus tempus in omne meos.
Deserui victrix postquam tua signa, Cupido,
  Atque, Puer, dixi, desidiose, vale;
Quam tenuit mea forma prius, me Turba reliquit;
  Nullus erat clausas sibilus ante fores.
Pax tamen una mihi fuerat comes, una voluptas:
  Complebat vacuas & satis illa domos.
Destiteram modulis mulcere procacibus auras,
  Idaliasque manu solicitare fides.
Pro molli Cithara, & Paphii modulamine cantus,
  Dulce fuit Carmen Pax repetita mihi.
Projeci è nudo gemmata monilia collo,
  E manibus Libyci fulgida dona maris.
Pax mihi pro gemmis satis omnibus una refulsit;
  Ditior hac solum Gange, Tagoque fui.
Turpia præteritę recolens si crimina vitæ
  Ingemerem, nocuas dilacerata comas,
Sanguineos agerem si ferrea lora per artus,
  Semper & ex oculis uda teperet humus,
Pacis in amplexu dulcis mihi lacryma fluxit;
  Blandaque ab accepto vulnere pœna fuit.
Demum fraterno mœrentem funere, fletu
  Cum pius assiduo solicitaret amor,
Singultu resonante domo, mihi dulce levamen
  Pax luctu in medio sola superstes erat.
Omnia pertulimus, casusque evasimus omnes,
  Pax aderat vitæ dum mihi fida comes.
Nunc Pax ipsa perit: Dominus secum ipse sub umbras
  Abstulit hanc, vita deficiente, meus.
Hinc facili nova bella movent sub corde timores;
  Anxia mens gelido conficiturque metu.

Quò

Quò ferar? aut Dominum quo jam sub Sole requiram,
 Cui servant stabilem saxa nec ipsa fidem?
Custodes Urnæ sed forte fefellit inertes,
 Immemores Domini, cum Dominoque mei.
Hæc mihi certa tamen sedes: hic mœsta recumbam
 Magdalis extincto commoritura Deo.
Hìc illum, lacrymæ, rursum vos quærite: primùm
 Namque fuit lacrymis cognitus ille meis.

Fabula de Aqua Rosacea.

ELEGIA III.

QUis primùm Idalio natum de sanguine florem
Immerito, facinus! torserit igne, canam.
Huc agite, herbiferi languet dum gloria Pæsti,
Liquitur & lento dilacerata rogo,
Inculti ad tumulum flores incedite: & omnis
Exequias Dominæ subdita turba ferat.
Ardentes inter quæ lusit garrula frondes,
Triste gemat querulo flebilis aura sono.
Melliferæ volucres viduatas nectare cellas,
Fixaque nequidquam cerea castra fleant.
Infesta proscinde manu, mœstissima Chloris,
Quas flos ornavit sæpius ille, comas.
Adsint tergeminæ Charites, viduique lepores,
Orbaque cum sociis Calliopea jocis.
Sæva Venus casto procul absit sola sepulchro,
Quæ tantum potuit sustinuisse scelus.
Duras illa ferox pœnas à flore reposcit,
Sanguine cui vitam præbuit ante suo.
Plebis odoratæ Imperium Regina tenebat,
Auroræ dives filia, veris honos.
Regibus invidiosa chlamys discriminat artus
Purpura, mendaci non medicata Tyro.
Paulatim prodit sertum regale; refulsit
Roscida cum Zephyris, intepuitque dies.
Excubias circum vigiles horrentibus hastis
Fidum consertis vepribus agmen agit.

Sed

Sed licet auricomos oſtentet frontis honores,
Exerat & flavas, æmula ſolis, opes;
Formoſam tamen una tenet, præque omnibus una
Solicitam teneri cura pudoris habet.
Lilia cum poſſit ſupra grandeſcere, flectit
Sponte coronatum nil tumefacta caput.
Nec tam ſceptra placent, nativaq; purpura, quàm quæ
Grata verecundâ gratia fronte venit.
Teſtatur, ſi dulce rubet, color ille pudorem;
Si flagrat, ingenuo proditur igne pudor.
Sentibus hinc rigidis dum ſe pudibunda tuetur,
Horrificat ſpeciem, ſic quoque pulchra, ſuam.
Sed quæ nacta fuit cunabula prima, pudicam
Non ceſſant miris exagitare modis.
Mœret, Acidalio duxit quòd ſanguine vitam;
Et pudet inceſta proſiluiſſe lue.
Nec vitæ tantum delectant munera, quantùm
Soliciti vitæ cauſa doloris habet.
Quo lucis cœpit nimirum exordia, multùm
Floris ab ingenio diſcrepat ille cruor.
Sæpius optavit potius cruor ille fuiſſet,
O nemorum cultrix, caſta Diana, tuus:
Illa roſam ſævo nunc vulnere ſpina remordet,
Quæ Cyprios audax fixerat ante pedes.
Edita cum primum cœpit lacteſcere, pinxit
Inde, reor, teneras ſparſa rubore genas.
Pertimuiſſe putes, ne moribus illa referret,
Quam forma potuit vel ſuperare, Deam.
Talibus ægra nimis dum carpitur anxia curis,
Et ſævum tacito pectore vulnus alit,
Adſtitit alma Venus; conſuetaque ſerta petebat,
Serta ſuis iterum non repetenda comis.

Cy-

Cypridis aſpectu, triſti defixa dolore,
Cum ſociis toto ceſpite contremuit.
Fronde profanatos crines ornare pudica,
Et formidato nollet ab ungue capi.
Oppoſitis queat illa rubis arcere legentem,
Vepribus impuras & removere manus.
Sed timet aſſiliens contra non grata videri;
Immemor & Dominæ dicier eſſe ſuæ.
Ipſa pudoris amans partem putat eſſe pudoris,
Hoſtiles illi non retuliſſe vices.
Cauſa laceſſitos animos hæc ſola retardat;
Infenſæ rabiem non timet illa Deæ.
Ergo, dum niveo carpit Dea pollice flores,
Prædaque curvatas complet odora ſinus,
Carpenti, non arma movens hoſtilia, ceſſit,
Sic tamen, invitam noſcere ut ipſa queat.
Sed primo decerpta rigens defloruit ungui;
Blandaque virgineus deprimit ora pudor.
Implicuit ter ſerta comis formoſa Dione,
Serta ter attonitas deſeruere comas.
Candida purpureum ſuſpendit ad ubera florem;
Pectoris ad tactas languit ille nives.
Utque ſolent teneræ brumâ tabeſcere frondes,
Arva Lycaonio cum riguere gelu,
Non ſecus areſcunt, & languida colla reponunt,
Pulchra ſemel tetigit quas Cytheræa roſas.
Pectore commoto bis ter ſtupet illa rigorem
Floris inaſſuetum, duritiemque ſui.
Certiùs utque animos exploret frondis avaræ,
Et perſtet veterem num violare fidem,
Hoc magis immites paſſim legit anxia flores;
Illuditque animo ſuſpicioſa ſuo.

Vimine contorto vernantia cogit in unum
  Germina; plus etenim nexa decoris habent.
Fasciculum ſtudioſa manus depectit; inanes
  Sedulus & faſtus amputat ungue labor.
Delicias æquat circum latus omne comantes;
  Nimirum pœnas excolit ipſa ſuas.
Scilicet & Superis mens eſt ignara futuri:
  Fata regunt ipſas imperioſa Deas.
Comit inęquales frondes dum Cypria mater,
  Frondes, quas numquam mox tetigiſſe velit,
O dolor! extantes imprudens dextera dumos
  Non expectato vulnere fixa premit.
Nil roſa peccavit; Dea ſed ſibi vulneris author,
  Urget opus properè dum nimis, una fuit.
Quæ poſtquam dextram ſtillantem ſanguine vidit,
  Faſciculum iratos projicit ante pedes:
Mœſta, furenſque ſimul, Flos ingratiſſime, dixit,
  Hæc reddis Dominæ dona, viceſque tuæ?
Ite procul rigidi, jam non mea gloria, flores,
  Sertaque digna meis non radiare comis.
Vos ego commerito pede preſſos funere plectam,
  Si male vos plantę progenuere meæ.
Hæc inter, ſaltus gemitu complebat amaro:
  Ira dolore furit miſta, furore dolor.
Prata per, & colles dum lamentabile carmen
  Integrat, & queſtu concava ſaxa ferit,
Audiit indecores gemitus, & triſte querentem
  Lemniacus ferro Sponſus, & igne potens.
Utque aderat, cinctu prodit, cultuque fabrili,
  Ore niger, nudus brachia, fronte madens.
Et, rude pulſabat quod ferrum incude, gerebat;
  Suſpicor enſis erat, torve Gradive, tuus.

Con-

Conjuge vix viso, properat gemebunda; cruentam
  Et procul ostendit saucia Sponsa manum.
Hæc, inquit, miseræ retulit flos ille superbus,
  Cui rubet è nostro sanguine tincta chlamys.
Quid primùm, quid deinde querar de fronde rebelli?
  Sævities illi quanta, novusque rigor?
Improba demisit vultus; nec molliter ungue
  Illa legenda mihi, sed rapienda fuit.
Num nostro fulgere sinu, num passa capillis?
  Decolor ante comas aruit, ante sinus.
Stulta, reor, voluit forsan pudibunda videri;
  Et tacitè mores increpuisse meos.
Lucis in authorem sed non sævire pudicæ
  Esse puto, & Dominæ vulnera ferre suæ.
Vepribus icta pedes illam dum vivere jussi,
  Hoc merui, ut nostras figeret illa manus.
Non tulit indignos gemitus Lypareius Heros;
  Et, vano, dixit, murmure parce queri.
Parce serenatos lacrymis corrumpere vultus,
  Singultuque nihil proficiente premi.
Artis erit nostræ florem punire nocentem;
  Infandum ferro crimen, & igne luet.
Dixerat: & Sponsæ lacrymas simul aspera tergit
  Dextera, blanditiis vel metuenda suis.
Cyclopum mox tecta petit fumantia: præceps
  Ira regit claudos, extimulatque pedes.
Hìc ferrum flammæ exercent, exercet & ipsos
  Alternis stridens follibus aura focos.
Addunt se socias ventisque, atque ignibus undæ;
  Nec servant mores mista elementa suos.
Libera quæ fuerat, captiva est pellibus aura;
  Unda calet; crebro flamma rigetque lacu.

Ar-

Arma ſed Ætnæi fratres hìc horrida fingunt,
Quæ noceant ventis, imbribus, igne magis.
In manibus tunc fulmen erat; dignoſque lacertos,
Qui telum poſſint vel jaculare, putes.
Illos, informem verſant dum forcipe maſſam,
Occupat adverſo Lemnius ore Faber.
Ponite in immeritos, dixit, quæ fulmina montes
Perdit iners fatuo ſæpè fragore Tonans,
Oblitus ſontes extinguere vindice flamma,
Se primùm, & ſocios, turpia monſtra, Deos.
Omnia nunc vigiles abrumpite cœpta, Sodales,
Et ſinite infectæ torpeat ira facis.
Intactis paulum reſpirent cautibus Alpes;
Nil Rhodope meruit, nil nemoroſus Atlas.
Jam neque Mars vobis, nec ſupplicat Attica Virgo;
Sed poſcit veſtras Mulciber ipſe manus.
Dura repercuſſo ſurgat Cuſtodia ferro;
Quo roſa terribili carcere clauſa gemat.
Hìc vitam ſolvat per lenta incendia, Sponſam
Dumis auſa ſuis contemerare meam.
Continuò accingit pulchro ſe turba labori,
Atque novum validis viribus urget opus.
Igne rubens duri primùm ſe lamina ferri
Explicat in latos ſæpius icta ſinus.
Curva per extremas oras, imitata lebetem,
Perpetuum æquato marginat orbe latus.
Excipit hanc recidens tegmen; ſeu pyramis illa,
Seu potius viſa eſt plumbea nola tibi.
Flexilis in conum ſenſim gracileſcit acutum,
Sed per fallentes attenuata gradus.
Comprimit illa ſuo ſubjectam pondere concham:
Rima per obſtructas nulla relicta vias.

Vertice sed summo quà desinit, annulus inde
  Ad nutum doctę prominet, ansa, manus.
Cętera plana forent, audax nisi fistula longo,
  Qua mage turgescunt, finderet æra tubo.
Urceus hinc tenui religatus stamine pendet
  Vitreus, irriguis exaturandus aquis.
Inserit admotæ syphunculus ora lagenæ;
  Mistaque sunt vitreis ferrea labra labris.
Hæc ubi Cyclopum rapidis properata caminis,
  Mulciber, arrisit Machina sæva tibi,
Protinus Ætnei male culta roseta ministri
  Invadunt, Domini quos agit ira sui.
Immansueta ruit pubes, oneratque canistris,
  Assultu vario quas populatur, opes.
Immundæ tactu fuliginis inquinat ostrum,
  Regnatrix florum quo speciosa nitet.
Ecquid opus fuerat ferratas cudere pœnas,
  Et nova lassatis gignere fata focis?
Sat flores dum turba metit turpissima, torquet;
  Supplicii nimiùm dextra legentis habet.
Fœda manus chalybum massis, plus frondibus illis,
  Ænea quàm fornax sit nocitura, nocet.
Nativo spoliatus ager sed murice postquam
  Squaluit, & Floræ concidit omnis honos,
Germina virgatis famuli referunt calathiscis,
  Nigraque purpureum brachia laxat onus.
Gestit odoratæ spectatrix Cypria cladis;
  Ignifer illoto plaudit & ore Pater.
Nec mora: substratis considunt pellibus; omnis
  Ærisonæ stridor conticuitque domus.
Hinc incompositus florum consurgit acervus;
  Æneus hinc carcer, seu magis urna, jacet.
In-

Innocuas cęco convellunt impete frondes,
  Subdita quas patulo colligit olla sinu.
Projiciunt nodosa procul tubercula terræ,
  Quæ sordent foliis dissociata suis.
Impiger ipse operi frondator Mulciber instat,
  Et Venus ultrices commodat ipsa manus.
Adnisi aureolos certant dum scindere crines,
  Et seges exsectis frondibus aucta tumet,
Forte, leves arcus tendens & tela, Cupido
  Ludebat jacta non procul inde face.
Irrequietus agit dum se per tecta, parentum
  Huc illuc volitans impediebat opus.
Increpat hunc Mater: Ducis quid segnia, dixit,
  Otia? cur cessas, desidiose Puer?
Te quoque solicitæ fas est succurrere Matri,
  Vellere & invisas cum Genitrice rosas.
Ocyus appropera: non te labor iste gravabit;
  Ingenio, atque annis convenit illa tuis.
Ille procul fugiens, Non tu me decipis, inquit;
  Territus exemplis sum satis ipse meis.
Nam, memini, florem legerem cum forte dolosum,
  Cuspide me rigidâ sæva momordit apis.
Utque tuæ rubuere manus nunc cæde recenti;
  Vulnere sic duro tunc rubuere meæ.
Nec secus ingemui, quàm tu modò læsa gemebas;
  Et lacrymas, flebas nuper ut ipsa, dedi.
Vulnus utrique, locusque idem, par causa doloris;
  Res tibi dissimilem me, reor, una facit.
Vulnere tu mœrens Sponsum petis, ipse Parentem;
  Illius amplexum tu petis, ipse tuum.
Sed tu, nam memini, minimùm commota dolenti,
  Ludebas casus nil miserata meos.

Trajectamque manum stillantem sanguine cernens,
  Vulnera, dicebas, tu graviora facis.
Torvaque facta mihi es blanda de Cypride Pallas;
  Non tua solantis verba, monentis erant.
Noxia, dissimulem quid enim? fert tela Cupido;
  Sed magis illa, Parens, exitiosa jacis.
Si nescis, me sola facit tua forma potentem:
  Tu nisi pulchra fores, esset inermis Amor.
Talibus erubuit dictis formosa Cytheris:
  Vera loqui Puerum conscia Mater erat.
Jamque opibus tumefacta suis, & vere revulso,
  Olla peregrinum jactat ahena jubar.
Extantes tunc turba premit Vulcania frondes;
  Palma superfusam cogit ad ima struem.
Edita, turriculæ in speciem, fornacula surgit,
  Quam lento domitum struxerat igne lutum.
Concava suppositos per viscera colligit ignes;
  Nactus ubi nullum sibilat æstus iter.
A fronte ostiolum tenui patet ore; ministrat
  Hinc Faber argutis pabula sæpe focis.
In medio celeres sed quà furit ignis ad auras,
  Area flaminivomum tosta foramen habet.
Desuper hìc saturam laniatis floribus urnam
  Defigit Lictor, fertilis Ætna, tuus.
Pyramis orbiculata premens simul obserat illam,
  Suspensam phialam quæ tubulata gerit.
Nec morâ: dimensos paulatim concipit ignes,
  Haurit anhelantes lamina dura faces.
Flebile quæque rosis molitur funus, ab igne
  Jure graves pœnas sustinet illa priùs.
Pœna priùs nocet ipsa sibi: torquetur & ipse,
  Qui solùm meruit nempe perire, chalybs.
Inde

Inde truces morsus, & vulnera sæva propagat,
Supplicio flores corripit atque suo.
Illaqueata jacet tenebroso carcere, florum
Quæ modò Regnatrix imperiosa fuit.
Quæque incensa suis, nulli nocitura, rubebat
Ignibus, hostili decolor igne perit.
Illa tamen medios inter dum cogitat æstus,
Servatus veniat gloria quanta pudor,
Perfuitur pœnis, & aheno stridula claustro,
Nativo lentas provocat igne faces.
Nec duro tantùm mœret de funere, quantùm
Gestit inoffenso læta pudore mori.
Non miseram reddunt immitia fata, superbam
Causa sed ingenuæ mortis honesta facit.
Hinc validos inter non ingemit, exilit, ignes;
Illo candorem nam probat igne suum.
Siqua pudica parum fluxerunt tempora vitæ,
Hoc tacito fixum pectore vulnus habet.
Sed veteres labes Vulcanius expiat ardor;
Ut sordes aurum purgat in igne suas.
Namque ubi perstrictas mordent incendia frondes,
Ad numerum gutta proveniente liquet.
Fragrantes nebulas moles camerata receptat:
Exsudat toto pensilis orbe vapor.
Sed postquam tumuit concretus fornice summo,
Labenti similis contremuitque liquor,
Desilit, & longo signat vestigia sulco;
Obvia quà pronum fistula monstrat iter.
Quàque prior fluxit, fluit altera tramite noto
Gutta, recedentis subsequiturque loco.
Libera quæque solet nullos cognoscere frenos,
Hìc fluit ad numerum lacryma rite suum.

Scilicet ingratus lacrymas cum fœdat amaror,
  Præcipites, imbris more ruentis, eunt;
Fragranti imbutæ quòd si dulcedine manant,
  Invida vix longo stilla labore fluit.
Gemmantes haurit suspensa laguncula rores,
  Guttatim spoliis & tumet, Hybla, tuis.
Unaque visa capi saltem pietatis amore,
  Germina dum penitus tanta perire vetat.
Dum rosa nectaream per lenta incendia vitam
  Solvit, & abruptas deficit inter aquas;
Dum lato exanguis subsidit, & arida fundo;
  Et tumulus miseræ est, quę modo pœna fuit;
Vesanis Erycina odiis expleta quiescit;
  Nec puduit, victo flore, tumere Deam.
Pone superba tamen vanos, Amathusia, fastus:
  Dedecus inde tibi, gloria nulla venit.
Exitio flos ille nitet pretiosior ipso:
  Clarior est, postquam desiit esse tuus.
Hoc mage spectandus surgit, quòd deprimis illum;
  Iraque plus florem, quàm tuus ornat amor.
Cum tibi grata fuit nam formosissima florum,
  Despectum posuit sole cadente jubar.
Quid centum fluxæ memorem discrimina vitæ,
  Ante suum miseram quæ rapuere diem?
Sæpe procelloso prostrarunt turbine venti;
  Sæpe minax rapidis perculit imber aquis.
Intempestivo decerpta vel aruit ungui;
  Immundo nitidam vel pede pressit ovis.
Sed postquam, pulchræ succensa cupidine laudis,
  Deseruit mores, o Cytheræa, tuos,
Clarior emicuit post ignea funera; qualis
  Pulchrior è flammis Unica surgit Avis.

Sci-

Scilicet in gratum per te conversa liquorem,
  Prodiga delicias spargit ubique suas.
Non ego fecundas artes, non sueta juvandi
  Pieriis claudam nomina mille modis.
Pæonis arte potens gustu si tristia miscet
  Pharmaca, dilutis temperat illa rosis.
Non aliâ melius sociâ tulit oxalis ægris,
  Non aliâ melius triste papaver opem.
Hâc imbuta tenax incestæ lacryma Myrrhæ
  Contraxit frontem, desipuitque minùs.
Te quoque sic fauces admittunt, Pontica radix,
  Quæ grave barbarico nomen ab axe trahis.
Nec solum dulci medicamina diluit unda:
  Sæpe latex ægris ipse medela venit.
Aurea præteream ut passim nam pharmaca dici,
  Quæ roseo miscet docta liquore manus,
Ipse graves abigit morbos purissimus humor,
  Atque medela eadem, deliciumque venit.
Sanguine si nimio tua lumina vellicat ardor,
  Bis quater admotus terserit illa liquor.
Insomnes traherem cum nulla per otia noctes,
  Atque mihi pugnax esset arena thorus,
Byssina tincta rosis bis ter line tempora circum,
  Dixit Apollinea nobilis arte senex.
Continuò fessus madefacta fronte quievi:
  Illa mihi Lethes suspicor unda fuit.
Tunc, memini, dixi; Mihi si succurrere pergis,
  Illecebrose latex, tu mihi Carmen eris.
Hos Elegos prima surgens vix luce rependi:
  Pars quoque per somnum carminis acta mihi.
Gratus amor celeravit opus; nil culta moratus
  Carmina, culta mihi dum foret alma fides.

Sæpe fragrans acri desponsa jugatur aceto;
  Languentesque artus vivida lympha fovet.
Æger Cecropio libet si melle liquentem,
  Arida concusso pectore tussis abit.
Te minus exurat tabo vitiata cicatrix,
  Abluerint mites si grave vulnus aquæ.
Nec modò depellit morborum examina; servit
  Lautitiis nobis sed famulata suis.
Gratiùs haud alia fragrant aspergine mensæ,
  Instruit ambrosias cum gula docta dapes.
Dulcia Pæstano turgescunt nectare crusta;
  Spirat & Hybleos lata placenta favos.
Sacchareo hinc libo decus est, cui candida fecit
  Nomina de niveo pectore cortis avis.
Illa etiam gratos tectis adolevit odores,
  Cum subiit parvos, pyxide clausa, focos.
Seu juncta est malis, Appi, te Consule dictis;
  Lusia, pastillis seu magis, ora, tuis.
Solvit odoratas auras, Trinacria Virgo,*
  Sæpius ante tuum nostra Juventa Larem.
Præcipuè bis strata solo, volventibus annis,
  Nuncupat ante sacram cùm pia vota Dapem.
Innumeros usus pergam si nobilis undæ
  Dicere, non finis, non modus ullus erit.
Hos meruit titulos florum pulcherrima, postquam
  Excussit Cyprium, facta pudica, jugum.
Nunc agite; & tutò Pueri, innuptæque Puellæ,
  Carpite florentes, florida turba, rosas.
Nam Rosa, quæ tenero fuerat suspecta pudori,
  Hortatrix vobis ipsa pudoris erit.

AD

* *Diva Rosalia, ad cujus domesticum Lararium Scholastici Collegii Romani, bis in annum, instaurant Vota Religiosa.*

Ad Amicum, post Bellum Peloponesiacum, Romam remigrantem.

ELEGIA IV.

ERgone, devicti spoliis Orientis onustum,
  Te reducem niveis gloria ducit equis?
Quando erit, ut captas armis victricibus arces,
  Sævaque depositâ casside bella canas?
Quando erit, ut liceat galeâ dissolvere frontem,
  Inter & adstrictas colla tenere manus?
Et quos involvit Peneis Nympha, capillos
  Cernere, sudori præmia digna tuo.
Crinibus atque novas silva Permesside frondes
  Addere, quas nullus novit avarus opes.
Nunc tua vela fragrans Nabathæis messibus Eurus,
  Lucidaque umbrosâ Cynthia nocte regat.
Igne Therapnæi vigilent tibi compare fratres
  (Nam blandæ melior quis facis usus erit?)
Non Maleæ spumantis hyems, vesana Charybdis
  Non tua navifragis vota moretur aquis.
Sed cum te (Superi bis ter mihi rite vocati
  Quod precor annuerint, si modò justa precor)
Aura redonarit patrio mitissima Cœlo,
  Emensum varii tædia longa maris.
Tunc ego thure pio sacras operatus ad aras
  Solvam pro reditu munera pacta tuo.
Fronde nova postes reducem gratentur Amicum;
  Totaque vernanti spiret odore domus.

Me

Menſa ſimul relevet feſſum, pro ſorte ſodalis
Parca, ſed alloquio lauta futura tuo.
Non mihi quæ Tyrios imitetur ſplendida luxus,
Nec Corcyræas dat mea menſa dapes.
Sed tu grandiloquo fueris mihi major Ulyſſe,
Tu Phrygio nobis Hoſpite major eris.
Victores illi Danaos, & capta decenni
Inclyta vix demum Pergama Marte ferunt:
Tu referes Grajas ſubitis incurſibus urbes,
Et Pelopis ſpatio regna ſubacta brevi.
Elida, Leuctra, truces Argos, claraſque Mycœnas
Tam properè capto ſuccubuiſſe mari?
Sparta, tuas acies, & Achivæ robora pubis
Turpia præcipiti terga dediſſe fugæ?
Tu juga Taygeti, Oebaliis bacchata Puellis,
Tænareas dices tu caluiſſe nives.
Quot galeas tumidis Iſmenus volverit undis,
Cladibus opplerit quotque Eraſinus agros.
Narrabis, Pylio ſublimes Neſtore turres
Fruſtra inter nubes implicuiſſe caput.
Narrabis, lapſa Alcide cunabula, Thebas,
Herculea pluſquam concutiente manu.
Mollia ſignabis bimaris nunc tecta Corinthi,
Clauſaque Siſypheo marmora rauca ſinu.
Nunc iterum refugis memorabis Echinadas undis,
Et nova Naupacti fixa trophæa jugis.
Aut freta circumeunt celſam quæ Leucada; condit
Æquoreus nullas nunc ubi raptor opes.
Aut piſcoſa ferens quanto ſe Nauplia portu,
Acriſionęa tollit ab arce caput.
Audierim, condi Neptunia claſſibus arva,
Pineaque in medio ſurgere caſtra ſalo.

Ro-

Romuleis proscissa gemunt seu cærula remis,
Seu Melite niveas explicat alta Cruces.
Turritas puppes nam quas agit Adria, leges
Adria ventoso tradere nata mari,
Vt possis vereor dictis æquare; laborant
Carbasa ut exanimes tendere tanta Noti.
Audierim pugnas, totque inclyta nomina bello,
Ausoniæ, Euganeos, lumina clara, Duces.
Quos, mihi si faciles præberet Cynthius aures,
Nec foret ingenii languida vena mei,
Pectine sacrarem, non damna volubilis ævi,
Fortunæ varias nec metuente vices.
Post ubi, quę multis steterant luctantibus annis,
Invictâ dices Oppida strata manu;
Censuerisque urbes, latè quibus extulit olim
Gręcia, tot populis imperiosa, caput;
Unum prę cunctis à te post multa requiram:
Arcadię lętas fas mihi nosse plagas.
Ecquis honos nigris Tegeaeę collibus? alta
Quantus & in nubes fronte Lycæus eat?
Siqua Cleonarum vestigia; Nonacrina
Incesto superant si juga nota Jovi.
Aut ubi vagitus Cyllenia reddidit Echo,
Interpres Divûm, Plejade nate, tuos:
Aut ubi, disparibus cum Pan resonaret avenis,
Gramina monticolæ deseruistis oves.
Quæ si tu senio referes collapsa vetusto,
Dum celerem capiunt invida lustra fugam,
Arcadiæ colles, redivivaque Mænala, Româ
Ostendam mediâ tunc revirere tibi.
Namque Palatini colles ubi sidera pulsant,
Et Janus gelidas murmurat inter aquas,
Hos-

Hoſpita migrarunt rigui pineta Lycæi,
Partheniuſque aditus, Parrhaſiumque nemus.
Ipſe Tibris placidis imitatur curſibus undas,
Sive tuas, Ladon, Inache, ſive tuas.
Tranſtulit in Tiberim veteres Alphæus amores;
Amplius ille memor non, Arethuſa, tui.
Pan, ovium cuſtos, Latios adduxit in agros,
Jampridem oblitos Mænala culta, greges.
Hic jungit mira compactas arte cicutas,
Hic nectit lætis pinea ſerta comis.
Paſtores illi centum, ſtabula alta tenentes,
Per virides errant, candida turba, domos.
Ceratis alii calamis, per Romula Tempe,
Labra terunt, dulces ingeminantque ſonos.
Dant cantus alii, quos Actia Mergelline,
Et quos ipſe velit Tytirus eſſe ſuos.
Illos pura fides, livoris & inſcia virtus,
Et decorat ſocia cum probitate pudor.
Simplicitas illis ſed non eſt ruſtica; truncis
Nec de roboreis pectora nata putes.
Nam licet intonſas ducant de more capellas,
Membraque villoſâ frigida pelle tegant,
Aſpectus cæli varios, & ſidera norunt,
Quæque regunt noctem lumina, quæque diem
Callent, Cecropiis quidquid monſtravit alumnis,
Quem letho miſit dira cicuta, Senex.
Quidquid & illevit chartis Abdera diſertis,
A cura vacuos quæ putat eſſe Deos.
Doctaque Nicomachi ſoboles, victura per ævum,
Tradidit Ingenii quæ monumenta ſui:
Nicomachi ſoboles, cujus tu grande ſepulchrum,
Proh dolor! Euboicum videris omne mare.
Ip-

Ipsa, humeris pendere solet quæ dulce levamen,
Agrestis buxo tibia multiforo,
Non semper tenues modulatur rustica cantus,
Aut pavidas humili carmine mulcet oves:
Non semper miseros Pastorum luget amores,
Improba duritiem questa, Lycori, tuam.
Sed celsos canit Heroas, canit horrida bella,
Assurgit tumidas atque imitata tubas.
Sæpe hilaris resonat Regum cunabula circum,
Sæpe ferit questu Regia busta suo.
Aut numerat Getico crebros ex hoste triumphos,
Regnaque ab Ismario libera facta jugo.
Ipsaque Tantalidę modò quæ tibi terra relicta est,
Materies nostris cantibus apta fuit.
Suspicor atque aliquis docuit tua nomina Pastor,
Fortiaque auritum gesta sonare nemus.
Arcadicis tractas sic tu dum finibus arma,
Arcadia est titulis altera clara tuis.
Hic tu Pastorum, lauro, myrtoque comanti,
Nympharum manibus nomina scripta leges.
Videris hic centum pendere virentibus ornis,
Ludicra dulcisonas quas movet aura, fides.
Tu modò rumpe moras; melioribus utere ventis,
Tyrrhenoque citam littore siste ratem.
Hìc ego, felicis nemoris projectus in umbra,
Præstolor adventum nocte, dieque tuum.

AD

Ad Eundem. In Urbe graviores illum pugnas manere adversus otium, & voluptatem.

ELEGIA V.

O Mihi quem junxit primis amor unus ab annis,
  Phocæam supra conciliate fidem,
Tenè ratem tandem solvisse è littore, tergo
  Regis ubi Phrygii molle refulsit ebur?
Tenè gravem spoliis, quod toto pectore lætor,
  Ad patrios demum vela referre Lares?
Gratulor Argolicis partum tibi nobile terris,
  Quodque diu nomen sæcula sera ferant.
Gratulor impensos Fidei, cæloque labores,
  Quo te non dubitem nil habuisse prius.
Nam neque, damnoso male quæ radiavit in auro,
  Te lucri cupidum Colchica traxit ovis:
Nec quæsita tuis meretrix Ledea carinis;
  Qui furor Argivos duxit ad arma Duces.
Relligio niveis rexit tua vela lacertis;
  Sola per Inachias tendere jussit aquas.
Sed tu, securæ meditatus commoda vitæ,
  Ad Tiberim lætum qui modò flectis iter,
Falleris, infestis finem si conjicis armis,
  Atque suo Romam Marte carere putas.
Lunigeras acies nam quid stravisse juvabit,
  Otia si reducem desidiosa manent?

Illis ingruerit nullus tibi sævior hostis;
  Segnities fortem scilicet ipsa facit.
Tu cave, Letheâ te subdat inertia virgâ;
  Victaque des duris colla premenda lupis.
Hic adhibe æratum clypei septemplicis orbem;
  Cautior hìc ferro pectora clausa tegas.
Cernis, ut ille trahat resides inglorius armos,
  Prælia bellator qui modò gessit equus?
Cernis & impavidis modò quæ tractata lacertis,
  Par Phœbi radiis arma dedere jubar,
Turpiter ut jaceant segni rubigine victa,
  Composuit postquam degener illa quies?
Te sonipes belli socius, teque ipsa monere,
  Otia quid possint, quæ geris arma, queant.
Quod si mansuetas Musarum respicis artes,
  Consimiles monitus nostra Thalia dabit.
Nam, si forte meam tangat socordia mentem,
  Nec terat assiduus pectora nostra labor,
Subductis velut hortus aquis, vis illa repente
  Areat ingenii quantulacunque mei.
Inviti & fluere incipiant, multumque coacti,
  Quos faciles cernis forsitan ire pedes.
Hei mihi! nequidquam tunc aurea fila retractet
  Dextra, reluctantes solicitetque fides.
Cessantis calami stultas non audit Apollo,
  Conscia non audit Calliopea preces.
Commodiùs fuerit sed, Martia signa secutus,
  Artis ut exemplis erudiare tuæ.
Hesperiam Ausoniæ junxit qui cladibus Afer
  Ductor, & extremo te, Tiberine, Tago,
Quid claris proavorum umbris, & Amilcare dignum,
  Quid dignum cœptis gessit & ipse suis,

Vul-

Vulturno postquam stravit viridante, quod olim
Alpinæ cautes non domuere latus?
Ter victos hostes num terreat ænea cassis,
Frondea quam vacuum sustinet arbor onus?
Punica num capto pandantur signa Quirino,
Quæ Venus imbelli complicat ipsa manu?
Sanguine, Roma, tuo rorantia tela, Cytherę
Perfringit, nulli jam metuenda, Puer.
Otia subsequitur nimirum grata voluptas,
Grata, sed exitio certa futura lues.
Nam velut incautos artus vinctura catenis,
Mentitur placidos Salmacis unda jocos;
Nam velut amplexum stringit Tirynthius ulnis,
Dum fera festinat, Libs, tibi, fata, Gigas;
Dulcibus haud secus illecebris capit illa, trahitque,
Quos duro virtus non adamante tegit.
Sed quos illa semel sibi mancipat illice vultu,
Post agitat miris, excruciatque modis.
Officit haud tantùm Memphitis Echidna, juventa
Molitur clades cum revirente novas.
Noxia non aspis tantùm, Nilotica pellex,
Uberibus Latium dedecus ulta tuis.
Illa lacertosum Scyro dum condit Achillem,
Non bene reticulo dissimulante virum,
Iliacæ placido respirant pectore Matres;
Trojaque dum capitur, multa recurrit hyems.
Explicat Herculeo dum Lyda monilia collo,
Pulchriùs incultas pectit & illa comas,
Mollia tunc didicit plus posse Cupidinis arma,
Quàm Nemees centum sæva Noverca feras.
Sed fortem, & lætis plus cautum rebus Ulyssem
Illaqueare dolis non potis illa fuit.

Pup-

Puppis Dulichiæ casus tibi deteget ipsum,
  Per mare Trinacrium quod modò carpis, iter.
Namque ubi discerptis albentes ossibus agros
  Videris, & medio saxa cruenta mari,
Sirenum scopuli surgunt; Laerte creatus
  Fixit ubi claræ celsa trophæa fugæ.
Victor ab Assaraci regno, & Simoente subacto,
  Errabat Siculis Dux Ithacensis aquis.
Læta triumphali puppis se fronde coronat,
  Iliacum docto pollice picta rogum.
Nec simulata putes flammarum incendia; rursus
  Ignibus his, dices, Troja perire potest.
Forsitan & pictę raperent tabulata favillæ,
  Si non vicinas flamma timeret aquas.
Dum nautæ adductis verrunt freta cæca lacertis,
  Et salsis abies labitur uncta vadis,
Exeruit pelago frontem placidissima Siren,
  Siren, Trinacrii pœna canora maris.
Dulce malum miseris & virus amabile nautis,
  Pestis in incautas illecebrosa rates.
Quid Siren sit, poscis? Ulyssem crede marinum:
  Infidi multum Principis instar habet.
Convenere pares: solum hoc discrimen in illis;
  Hic terras complet fraudibus, illa salum.
Illa soporatos fluctus erecta super stat,
  Cæruleas gemma divite nexa comas.
Exsuperat qua parte mari, pulcherrima tota est;
  Fraudis amans dici si speciosa potest.
Cætera, terrificat quæ squamis horrida Pistrix,
  Membra superfusis turpia condit aquis.
Composuit postquam fallaci cærula risu,
  Detersum maculis jussit & ire diem,

Marte fatigatum, longoque errore viarum,
  Vocibus his fertur ſolicitaſſe Ducem.
(Per ſcopulos latè Thetis acclinata canentem
  Audit, & Æoliæ conticuere tubæ.)
Imperii decus Argolici, Laertia proles,
  Suſpicor & voluit quo duce Troja capi,
Siſte ratem, nimis heu duris exercite bellis;
  Quò fugis, o Danaûm gloria? ſiſte ratem.
Ablue Dardanio fœdos hìc pulvere crines;
  Eſt mihi, quæ crines tergeat, apta manus.
Pone coruſcantem duris thoraca metallis;
  Offendunt oculos arma cruenta meos.
Barbara Amazoniâ non Pentheſilea ſecuri,
  Non hìc, qui pugnas poſtulet, Hector erit.
Sat Troiæ, Xanthoque datum; ſatis unda Scamandri
  Ire coloratas ſanguine vidit aquas.
Littore in Idæo cum te Fortuna teneret,
  Ad caſus timui collacrimata tuos.
De te poſcebam peregrinas anxia puppes,
  (*Sæpe peregrinæ præteriere rates*)
Diceris eversâ demum decedere Trojâ
  Victor, & optatis tendere vela Notis.
Sed, tua dum duris exercet carbaſa fatis,
  Atque agit inviſam Fors inimica ratem,
Telemachus fruſtra te claſſe requirit; & ægro
  Exiluit fruſtra Penelopea thoro.
Quàm timui, vaſto ne te Polyphemus haberet
  Carcere, cum Siculos ingrederere ſinus.
Quàm timui, de te faceret ne Filia Solis......
  Sed refugit turpes lingua referre notas.
Nunc ades, o terræ multis erepte periclis,
  Quæque tibi vario multa fuere ſalo.

Hoc

Hoc liceat fessum religare in littore funem,
Hac liceat demum sede quiete frui.
Te Regna accipient socium, pulcherrima Regna,
Flectere Fatorum quæ mihi lege datum.
Namque Itacha, insanis quam tu petis æquoris undis,
Quantula terra foret, ni foret illa tua?
Quod si tantus amor, patrios exquirere muros,
Exiguosque juvat nobilitare focos,
Finibus his saltem paulum subsiste: carebit
Hæc etiam fructu non mora parva suo.
Nam socii laceræ reparabunt robora navis;
Materies illi littore prompta meo est.
Remigium tibi pube nova supplere licebit:
Rara sedet transtris Nautica turba tuis.
Adde moras demum, expedio dum dona, paravit
Nocte vigil longâ quæ tibi multa labor.
Finierat: levibusque Notis dedit ultima verba;
Nam procul ex oculis mascula puppis erat.
Non potuit dulci fidens divellere cantu,
Quem malo nectunt vincula dura, Ducem.
Obstructas ceris sociorum mollibus aures
Nec blandæ poterant detinuisse preces.
A tenerâ discunt socii durescere cerâ;
Cera Cupidineas reppulit ipsa faces.
Nexibus & centum malo suspensus ab alto,
Sirenum vinclis ille solutus abit.
Tu modo cæruleas, mendacia monstra, Puellas;
Nec ficto timeas æquora pulsa sono.
Ne perdat, caveas, Siren te Romula; multas
Atque hic Sirenes, si sapis, esse puta.

AD PICTOREM.

Cum elegantissimam Niobes imaginem publicè spectandam proposuisset.

ELEGIA VI.

QUi primus docuit telis animare figuras,
Linaque fulgenti muta colore loqui,
Non oculis præbere, reor, spectacula solùm,
Nec populi voluit gaudia vana sequi.
Non ego, divinæ judex injurius artis,
Hoc solùm sese nomine ferre putem.
Quantus honos, longi quæ gratia tanta laboris,
Lumina venali fixa tenere dolo?
Sæpius & turbam variis illudere formis,
Ut semel incautas ille fefellit aves?
Plus pretii tegit illa suo, cælatque recessu,
Quàm frons argutis spondeat apta jocis.
Cæcas illa suis mentes illuminat umbris,
Et verum prodit fraudibus illa suis.
Perque oculos, tacito pervadit pectora lapsu;
Quæ peragenda simul, quæ fugienda, monet.
Obliquos picta componit imagine mores;
Non exempla suo robore picta carent.
Forsitan & chartis multo Zenone refertis
Erudit indoctos culta tabella magis.
Multa licet referat sapiens ab Apolline dictus,
Jus animos supra dum tibi Parca negat;

Ex-

Expreſſus vivis tamen ille coloribus, effert
  Imperturbatâ dum ſua fata manu,
Plus te perpetui ſtimulis incenderit ævi:
  Occulta pectus plus agitetque face.
Inſpice Majorum vultus, & Martis amicos,
  Aula coloratos quos tibi monſtrat, avos;
Continuò pulſet trepidum tibi gloria pectus:
  Tympana non tantùm, non valuere tubæ.
Protinus inſpiret patriæ tibi dulcis amorem
  Armato præceps Curtius acer equo.
Aut ubi torreri, pictâ monſtrante tabellâ,
  Tyrrheno Latiam videris igne manum;
Aut ubi fortis agit medios ſe Codrus in hoſtes,
  Clarior obſcuri militis in ſagulo.
Eſt amor inſtabiles Fortunæ diſcere vultus,
  Improba quæ certam neſcit habere domum?
Cerne Ducem Arſacidûm, pavido vix lintre revectum,
  Sexton Abydenis qui modò junxit aquis.
Cerne fidem Phariam, Magni cervice cruentam
  Et dextram, cujus munere ſceptra gerit.
Te doceat ſenſus Lucretia viſa pudicos;
  Te doceat thalami Porcia viſa Fidem.
Atque utinam nullæ peccandi exempla tabellæ,
  Veris, heu! multùm deteriora, darent.
Nulla utinam ingenuas vitiaret Cypria telas;
  Nulla pharetratus tenderet arma Puer.
Quis furor, auratis ſuſpendere crimina muris?
  Et, quæ ferre pudet, cogere ſaxa loqui?
Has ego crediderim Stygio carbone notatas,
  Cerberea tabulas & maduiſſe lue.
Has dubitem Stygiis urendas reddere flammis,
  Ne ferat immeritus funera tanta Pudor?

Ne nimiùm fidens oculis male sana Juventus
 Hauriat aspectu longa venena brevi.
Exuvias illinc victi pendere pudoris,
 Virgineique animi robora fracta vides.
Fortius oppugnant animos, quò molliùs illas
 Vel Coo duxit major Apelle Faber.
Vulnera mendaces infligunt vera colores:
 Plusquam oculos, animos decipit ille color.
Qui tabulas ornat, color inficit ille tuentes:
 Dispare te damno discolor ipse petit.
Candidus est? caveas, tua corda nigrantia reddat.
 Purpurat? est sitiens sanguinis ille tui.
Si pallet, gelidus signat tua crimina pallor:
 Si viret, est fragili spes tua nixa loco.
Dicimus & meritò vivos fulgere colores;
 Vivere multorum quos liquet exitio.
Ah pereat, primus qui proditor artis honestæ,
 Polluit Idalio carbasa pura luto;
Turpia probrosis spirantia crimina telis
 Sustinuitque sua nobilitare manu.
Illum degeneris famæ seu stulta Cupido,
 Devius & tetigit posteritatis amor;
Seu sacrare suos studuit lascivus amores,
 Mentitus claras assimilare Deas.
Forsitan & Pallas Phrynen, Diana Philænin,
 Obscænas referunt Numina casta lupas.
Sed mihi quid tecum est, nemorum, Latonia, custos?
 Quid Pallas tecum est ambitiosa mihi?
Impia sacrilegæ quanta est audacia dextræ,
 Atque pudoris habet quam color ille nihil,
Qui fuco Superum vultus inducit, & ora?
 Obtenta & gravius Relligione nocet?

Mag-

Magdala cur meruit nudo diffundere collo,
  Venalis paſcit quas nec amica, comas?
Ubera marmoreo cur pectore nuda renident,
  Ardores nivibus conciliantque ſuis?
Cur mores iterum, cera fingente, reſumit,
  Quos pia deſeruit Numinis ante pedes?
At lacerat fuſos per eburnea colla capillos;
  Tundit & immitis pectora nuda dolor:
Deſuit hoc igitur, dolor ut peccare doceret;
  Ipſaque delicti pœna, magiſtra foret.
Sed neque te Paphio ſpecies quæſita veneno,
  Famaque tranſverſum flagitioſa rapit.
Tu ſolidos ſequeris ſinceræ laudis honores;
  Nulla pudicitiâ cura priorque tibi.
Hic labor, hoc longo vivendi proficis uſu,
  Purior ut telis ſit tua vita tuis.
Et modò quot pulchræ incendit virtutis amores,
  Quod tua conſpicuum dextra peregit, opus?
Corda docet rebus non turgida ferre ſecundis,
  Viſa potens Niobe quæ nimis eſſe ſibi.
Ultores Superos, ſubmiſſa mente, vereri
  Præcipit, & de ſe parcius illa loqui.
Quàm vano tumeat ventoſa ſuperbia faſtu,
  Doctior hac viſa quilibet eſſe poteſt.
Quæ miſeræ facies, natorum turba parentem
  Dum mediam, jaculis dilaniata premit?
Ora manu pulſat, frontem dejecta ſuperbam;
  Nunc dolor irriguis, nunc ſubit ira genis.
Quòd ſi ſupremos morituræ noſcere quæſtus
  Et amor; hæc vultu verba notata leges.
Vivis adhuc, Niobe? ſeptem poſt funera vivis?
  Non tibi natorum copia, mortis erat.

Perge, laceſſe Deas, infeliciſſima matrum,
  Si tamen, o Niobe, nomina matris habes.
Me mea fertilitas viduat natiſque, dieque;
  Eſt leve poſt natos ſed caruiſſe die.
Lux omnis miſeræ periit cum prole perempta,
  O proles, ulnis non reditura meis.
Priſcus amor ſobolis, ſobolis poſt funera, vivit:
  Mors jungit natos arctius ipſa mihi.
Si cinis es proles, mihi cur incendia reſtant?
  Cur fervent veſtro pectora noſtra gelu?
Poſt glaciem extremam ſupereſt, cinereſque meorum,
  Sævius & matris viſcera torquet amor.
Votum in matre novum, matris damnamus amores;
  Non ſobolem, ſua ſed funera mater amat.
Vivere quæ ceſſant, cruciant ſua pignora matrem,
  Quòque minus vitæ, plus feritatis habent.
Addite vel matrem ſoboli, vel reddite matri
  Progeniem, Superi; ſic ſupereſſe dolet.
Heu, ſolis fœcunda malis, ſine prole relinquor;
  Eſt mihi pro natis lacryma ſola comes.
Exanimemque animent utinam ſuſpiria prolem;
  O proles, ulnis non reditura meis.
Creſcite, dicebam (memini) mea pignora, multùm
  Creſcite, & in titulos ocyus ite meos.
Naſcetur vobis Dirce altera, & altera Thebe;
  Clarior ex vobis & mihi Cadmus erit.
Hinc mihi nam fuerit, ſpoliis qui ditet opimis
  Maternos, ſævo victor ab hoſte, ſinus.
Dircæas inter quò feliciſſima matres
  Hinc erit ut tota ſæpius Urbe noter.
Irrita nunc venti rapiunt præſagia; clades
  Atque meas ſolùm vaticinata ferar.

Di-

Dicat Echioniis infeliciſſima faſtis:
  Matribus Ogygiis flebile nomen ero.
Devoveant, tali non dignam prole, parentem;
  O proles, ulnis non reditura meis.
Læta ſibi fauſtis plaudit Latona ſagittis:
  Tantane rixoſas aſperat ira Deas?
Sed tibi ab obſcuro, Arcitenens, quæ palma triumpho,
  Quæ ſpolia imbelli ex hoſte fuere tibi?
Quò, quò, Phœbe, ruis? Pythonius occidat anguis;
  Dilanient ſontes, quæ jacis arma, feras.
Crudeli potius vel vulnere fige parentem,
  Viſceraque ultrices in mea verte manus.
Nil meruere mei: ſiſte improbe; crede parenti:
  Formoſum talis non decet ira Deum.
Tende lyræ nervos; habeat ſua bella Gradivus:
  Non odiis ſpecies convenit iſta tuis.
Te per ego hanc pharetram, tergo quæ nutat eburno,
  Te precor Aonii per vada pura freti;
Sic tua perpetuò ſtringat tibi tempora Daphne,
  Altior in nubes ſic tua Delos eat,
Me pete. ſed medio vox interclusa dolore eſt;
  Occupat algentes ſaxea forma ſinus.
Jamque lapis, proles, dixit, reditura lacertis
  Heu nunquam; ſed non addidit illa, meis.

Ineun-

Ineunte Vere monet rebus prosperis parùm esse fidendum.

ELEGIA VII.

QUæ modò regnabat glacialibus aspera ventis,
Desidiosa fugam jam meditatur hyems.
Illa quidem lento trahitur pede; solvere terras
Festinat lento sed tamen illa pede.
Ocius ut fugiat, denso ver fasce rosarum,
Effætam multo verbere pulsat anum.
Imminet à tergo, dorsumque senile flagellat
Floribus, & lentas increpat usque moras.
Jam non, dum segni contristat frigore Cælum,
Cernit inexhaustas ire December aquas.
Nec, dum Rhipheo nutant Aquilone cupressus,
Assidet ad patrios rustica turba focos.
Excussere nives humeris immanibus Alpes,
Et suus est campis, arboribusque color.
Flumina decrescunt dum latè undantia, tutum
Carpit jam certo calle Viator iter.
Jam, modò quæ latuit nexis ingloria velis,
Æquoris insanas cymba lacessit aquas.
Jam modò, ventosę meditatum tempore brumæ,
Promit populeo è cortice carmen avis.
Ver sonat argutus, fugiens per gramina, rivus;
Ver sonat arboreas dum movet aura comas.
Ecce laborantes tondent dumeta capellæ,
Rustica dum saturas fistula mulcet oves.

Ec-

Ecce, lacertosus dum jugera scindit arator,
  Grata fatigatos fallit avena boves.
Sed licet exiliat lætis cultissima tellus
  Fontibus, & viridis vestiat arva chlamys;
Tu tamen illecebris caveas florentibus anni
  Fidere: pompa breves possidet illa dies.
Ille ferox iterum gelida remeabit ab Arcto,
  Arboreas Aquilo decutietque comas.
Angustis iterum cellis inclusa latebit,
  Ludit missa suis quæ modò turba favis.
Pastorum caulas, & virgea septa tenebunt,
  Qui saliunt celeres per juga nota greges.
Et modò quæ viridi vernant lanugine prata,
  Canescent reduci contumulata nive.
Ipsa sed ut variis promit se vultibus ætas;
  Ut subit incertas annus & ipse vices;
Non aliter nobis alternat tristia lætis,
  Qui regnat stabili solus in axe Deus.
Longior utque furit nimiis ardoribus Æstas,
  Longior immodico fœdaque bruma gelu;
Non secus humanæ breve Ver, & labile vitæ,
  Et fugitiva brevis gaudia risus habet.
Hora rapit præceps, vultus fucata nitentes,
  Quot spondet blandos vana Juventa jocos.
Succedunt atro tristes examine curæ,
  Et labor, & trepidi, corde micante, metus.
Gutture succedit querulo morbosa senectus;
  Ante suum vitiis sæpe vocata diem.
Illa genas sulcat rugis deformibus, ostri
  Murice permistum quas modò tinxit ebur.
Crinibus illa nives diffundit tempora circum,
  Quæ flavum compta fronte dedere jubar.

Sed

Sed neque florentes annos sincera voluptas,
  Nec primæva vigor pectora certus habet.
Non timet Herculeos Juvenum Libitina lacertos;
  Non regum validas cæca veretur opes.
Sævius erumpit fulmen de nube serena;
  Inque ipso gravius melle venena nocent.
Sæpe quibus ridens Aurora refulsit, acerbos
  Occiduo fletus lumine Vesper agit.
Dulcia sæpe gravis temerat convivia luctus,
  Sæpe maritales ira cruenta thoros.
Dum loquimur, gratâ silvæ vernantis in umbrâ,
  Frigidulos inter, quos ciet aura, sonos,
Ipse monet rebus nimiùm non fidere lætis,
  Qui nostros, rivus, labitur ante pedes.
Cernis, ut irriguos lactet nutricius herbas,
  Obliqua serpens irrequietus humo?
Ille tamen, vitreis errat dum flexilis alis,
  Nescio quid placidas murmurat inter aquas.
An queritur, dulces, quos lambit, linquere campos?
  An sic alloquitur, quas rigat, ore rosas?
Audis? O multùm felices! crescite, dicit,
  Quæ vitam è nostro sugitis imbre, rosæ.
Olli subridens acies pudibunda rosarum,
  Cresce, ait, æternis tu quoque semper aquis.
Non has Pastor aquas turbet, non ungula tauri:
  Sed tu præcipiti cùr fugis, unda, gradu?
Blandule siste latex: nil, quo fugiamur, habemus:
  Lucidulos, gurges blandule, siste pedes.
Ille procul fugiens, Flos subdole, falleris, inquit:
  Et satis in spinis, quo fugiaris, habes.

LYRICORUM

LIBER UNUS.

EUROPÆ

AD INNOCENTIUM XII. VOTA.

ODE I.

QUamvis, ahenis miſſilibus nocens,
Procella duri me chalybis gravet,
Luſuque ventorum protervo
Pulvereos agat aura crines,
Utcumque ſacris fuſa cruoribus,
Et vincta iniquis brachia vinculis,
Tonantis olim, nunc pudendi
Præda ferar laqueata Martis,
Atlantis adſum Romulei ſacris
Europa plantis. Regna, Pater, Pater,
Demerſa probroſas per artes
Perpetuis lacrymamur armis.

Quæ

Quæ Bactra, vel quæ Tethys inhoſpito
Secreta Cœlo neſciat Anglicæ
Æſtus favillæ, & fœderatis
Orcades incaluiſſe flammis?
Vides, ut armis triſte micantibus
Britanna latè Doris inhorruit;
Torvæque claſſes belluoſi
Sæpe vias relegant profundi,
Dum ſæva ludum ludere perfidum
Fortuna campis cęruleis agit
Puppes fatigatas, paratus
Totque maris dubii doloſis
Conſumit undis? Belgicus haud procul
Frondeſcit haſtis Sequanicis ager,
Sabiſque tot negat modeſto
Agmina ſuſtinuiſſe tergo
Anguſtus amnis: qui refluas retro,
Ferri phalanges, & toties jugum
Paſsus remigrantum, irritaſque
Ter decies remeare turmas,
Miratur ipſis otia militum
Enata bellis: ſolus & aſpera
Sentit pudendi damna Martis,
Immeritas laceratus undas.
Inauſpicata quid memorem truces
Haurire Rhenum caſſide Saxones,
Quos fœta ramoſis ad Orcum
Triſtis agit Libitina morbis,
Parcente ferro? cernis Ibericis
Saltuſque, & amnes fervere claſſicis,
Auſumque Pyrenes profano
Igne nives violare Martem?

Fero-

Ferocientes vos etiam faces
Sensistis Alpes; immiserabilis
Dum cæca tempestas Gradivi
Ausonios populatur agros.
Sanguisne ripas Italus, Italus
Ollj sonantes tinget, & Adduæ?
Raucisque quassabit metallis
Eridanus Phaetontis Urnam?
Hæc immerentem proterit invidi
Procella fati. cingimur undique
Armisque, telisque: & nocentis
Gliscit amor, rabiesque ferri.
Sed tu Quirini si facilis jugo
Ærata, Princeps, agmina respicis,
Edico, non anceps Sacerdos,
Fata meis meliora Regnis.
Tu, ludibundo tensa volumine,
Vexilla nodo collige; tu fera
Refinge pacatos in usus
Corda, tuos imitata mores.
Tu bellicosis insere Laureis
Mites olivas; jurgia Principum,
Rixasque, & insanos sereno
Tolle supercilio furores.
Tunc expiatos Pax bona postibus
Enses avitis, & jacula, & truces
Suspendet hastas; tunc marito
Sæva thoro, tenerisque conjux
Narrabit audax bella nepotibus:
Mensis catervas tunc super instruet;
Et sæva depinget cruento
Castra mero, calidasque rixas

Lu-

Premunt tenaci vincula Cyclades:
En ipſa, vinclis nexa recentibus,
Reptata nequidquam Tonanti,
Triſte gemit populoſa Crete.
Injurioſi nunc quoque pertinax
Libido ferri me miſeram premit,
Tutela dum præſens tueris
Tu viduas, Columenque terras.
Hinc inde Lunas deſpice Thracias
Errare campis Hungaricis, Pater,
Dravumque, Savumque, & retortis
Danubium fremuiſſe ripis.
Iſtrum catenis necteret æneis
Inulta pubes, non ſemel impotens
Ferroque vaſtatos & igni
Pannonicos operire campos,
Si non Fides, &, nobilis ingeni
Opima merces, gloria, vindicem
Per tela Badenſem, per ignes
In medios rapuiſſet hoſtes.
Germana ſignis bella Corinthiis
Afflanda, limo non Acherontio
Squalere permittam; tuæque
Non humilem, Lodovice, famę
Iſtri bicornis margine vitreo
Tollo Coloſſum; quem neque diruat
Luctator Auſter, nec comantes
Deciduum per inane flammæ.
Fatale terris nomen Achaicis,
Sculpere, teli more Cyclopei,
Egiſſe palantes per agros
Maſſagetûm, Cilicumque nimbos,

Fruſtra fugaces ore Kuperlio
Carpente turmas. Ibimus, ibimus
Eheu! celebris poſterorum
Fabula, ludibriumque, Thraces.
Hoſtiſne muros riſerit arduos,
Et ſepta clauſtro valla decemplici,
Ferroque flammiſque imperatas
Excubias, & ahena caſtra?
Si vera virtus ſcilicet excidit,
Non valla duris fœta tonitruis
Tuentur imbelles catervas,
Miſſilibus ſaturæve turres.
Fruſtra metallis obſita pectora,
Haſtaſque tolli ſtringitis aſperas;
Fruſtra Meduſæi coruſcas
Per galeas micuere crines.
Sculptus lacerti vilis inertiam
Accuſat horror; non bene pectora
Angues colorati, & minaces
Diſſimulant tremefacta Tigres.
Hac ſtirpe pubes non Rhodopeia
Prognata, rauco vincla Boryſtheni
Injecit, & duris revinxit
Carpathium, Ioniumque frenis.
At nos cruentæ tædia gloriæ
Cœpere pridem; ſcilicet hoſtibus
Cultuſque, moreſque, & vetuſtos
Vendidimus titulos avorum.
Sed non ſupinas ducere fœminas
In arma juſſus, Pannonicis iners
Jacebo campis: quâ ſagittas
Vulnificis agit aura nimbis,

Fe-

Ferar per hostes. Non ego degener
Kuperlianæ stirpis adoreas
Ignavus hæres, Creticasque
Videro consenuisse lauros. *
Fortuna sævo læta periculo
Lapsum potentis viderit Imperj,
Et cuncta demum eversa, præter
Gnossiaci sobolem Kuperlj.
Hæc fatus, audax quò vocat impetus,
Urget citato cornipedem gradu,
Densosque perrumpit maniplos,
Nobilis ambitione lethi,
Multisque flagrans cladibus inclytam
Dotare mortem. funera prodigit
Sed mille dum lunatus ensis,
Et, madido truculentus imbre,
Sublime tollit coniferum caput,
Frontem minacem ferreus occupat
Globus, reluctantemque frenis
Figit humi. ruit ille, at ipsâ
Major ruinâ. pugnat anhelitus
Exanguis iræ: si meruit fidem
Decorque, vultusque, & superbus,
Qui gelido natat ore, pallor,
Vicisse credas. stringit acinacem
Manus; cruentùm lumina fulgurant;
Et murmur inclusum trementi
Nescio quid galeâ minatur.

* *Kuperlius Turcici exercitus Imperator, Cretam expugnavit.*

ASIÆ
AD INNOCENTIUM XII. VOTA.
ODE II.

ET me curuli rumor in essedo
Devexit aura remige, mœnibus
Quâ jura dispensas Latinis,
Romuleæ Dominator unde.
Te non laborum parca sequacium
Virtus laborans sedula Principem,
Olim beatis destinabat
Præsidium, Columenque terris.
Ut nostra Gangis littore gemmeo
Aurora concham solibus educat
Laboriosis, delibutam
Et placido fovet igne, toto
Adnisa Cœlo; mox tenerum jubar
Alit liquenti dædala nectare,
Nutricio fingens Olympo
Sidereum studiosa partum.
Lapsum sereno non secus æthere
Te candor altæ proditor indolis,
Pudorque, rectumque, & decoros
Relligio religata crines
Excepit ulnis: mox genialibus
Affusa cunis intrepidum caput
Favens Amalthæe coruscâ
Dicitur implicuisse zonâ;

Fa-

Fascesque, laurosque, & radiantium
Gemmas coronarum, & Tyrias prope
Lusisse lanas, & frementum
Non humiles titulorum acervos.
Hinc ominato diceris asperum
Adultus ævo lac sapientiæ, &
Nutricis Astrææ liquorem, &
Ingenui sine fraude Justi
Hausisse succos. nam neque subdolos
Larvata vultus illecebrosior
Fortuna, masculasve curas,
Oebalio medicata fuco,
Fregit voluptas. Nobilis indoles
Fatumque, casusque, & dubias vices
Transvecta, quâ late coruscum
Signat iter, vigilesque Virtus
Suadet labores, protinus emicat;
Famamque, vulgusque, & popularium
Æstus procellarum sereno
Despicit expatiata Cœlo.
Hac arte fretus sæcula fulgido
Refingis auro: moribus efferis
Orbis fatigatus vetusti
In pretium reviresçit ævi.
Ille & serenis purus Etesiis,
Et auspicata clarus in Iride
Dies refulsit, quo recurvis
Collibus obsequiosa primùm
Te Roma vidit cernua Principem.
Perstrinxit almi me quoque luminis
Jubar, jacentem nocte tristi
Longa licet gravet umbra. Regna

Devota, Princeps, illacrymabili
Lugemus Orco. quantula pars ſacris
Luſtrata lymphis ſulphurati
Stagna Erebi fugiunt, lareſque
Rubiginoſos ſub Styge torrida,
Et merſa vanis ſæcula luctibus,
Flecti reluctanteſque duro
Indomitos adamante muros!
Sudat, pudendum! lacryma Thraciis
Sabæa Templis: noctibus India
Caligat Infernis; coruſcoque,
Ipſa ſibi tenebroſa, cunas
Phœbo miniſtrat. cerne rebellibus
Immugientem Phaſida fluctibus,
Cydnumque, flaventemque latè
Hermon, Achæmeniumque Tigrim.
Paret lupatis Arſacidûm, jugum
Heu fruſtra Araxes indocilis pati:
Pictiſque peltatum catervis,
Currere Thermodoonta ripis
Pudet profanis. Ortygii potens
Regina ponti Cyprus aheneos
Frenos momordit, criminoſo
Atque fremens rigat ora luctu.
Sed hæc mearum pars quota cladium?
Inſanientis præda licentiæ
Divina ſordet, funerati
Nobilis exuviis Tonantis,
Urna, Urna, totis irradies comis,
Colaſque, Titan, quam face ſupplici;
Ultroque cui reclinis axis
Funereas, locet aſtra, tædas.

Arabs capillo mollis adultero
Vexilla vallis fixerit æneis?
Viles adoratæ Sionis
Culmina polluerintque Lunæ?
Raptæne Templis Isiacæ Nurus,
Concisa loris turba, nefarios
Secuta prædones, superbum
Imperium, Geticarum acerbos
Fastusque matrum pertulerint? Foro
Lascivus Emptor triste gementium
Choros Puellarum revinctos
Abstulerit Phrygias in oras?
Fidusne custos, Hospitium breve,
Marmor, Tonantis, sub pede barbaro,
Æterna proh labes! feratur
Non tacito rubuisse questu?
Nec Balduini, Francigenûm & truces
Arsere Manes? dedecus insolens
Nec sensit, inque hostes retorsit
E gelida Gothefridus Urna?
At ò Quiritum quisquis amicior
Gradivo, & astris; surgite, Romuli,
Tullique, & atrocis Camilli, &
Scipiadum, Lepidûmque sanguis.
Jam non inultâ per Stygis orbitas
Vagatur umbrâ Crassus; amabilis
Manesve Magni in parricidam,
Roma, vocant tua bella Nilum.
Plebis trophæum lunigeræ, vocat
Illustre saxum. protinus abditam
Romane, loricam, & tremendi
Stringe manu gladium Catonis.

Fruſtra ſecunda dicitis alite
Captum Latinis puppibus Actium,
Lunaſque clade decolores
Ambracio jacuiſſe ponto,
Si feriatis infoditis dies
Tectis, Quirites; ſi Latios male
Vibratis enſes. ite, amicis
Urna vocat reparanda Fatis.
Devota pulchræ pectora gloriæ
Aſper laceſſit clivus anhelitu;
Situmque, nexuſque indecoros
Exprobrat inſidiantis otj.
Aut bellicoſas mergite Tibridi
Ceras avorum, ſaxaque martios
Mentita vultus, & vetuſtæ,
Quæ ſuperant, monumenta laudis:
Aut per rubentes ſanguine gurgites
Iraſque ponti non pigeat ſequi
Greſſus avitos. En jocoſo
Romuleas vocat aura puppes
Lenis ſuſurro. ſcandite pineas
Rates; protervos tendite Biſtones
Ultura vela; perduelles
Marte pio ſuperate muros.
Si tela deſunt, ſtemmate patrio
Claſſes paratos perdere Thracias
Ignes refiget, miſſileſque
Romuleus Dominator Ollas. *

AFRI-

* *Alluditur ad Pontificis ſtemma gentilitium tribus ollis Incendiariis conflatum,*

AFRICÆ
AD INNOCENTIUM XII. VOTA.
DITHYRAMBUS
ODE III.

LAboriosis vecta Draconibus,
Ustaque perpetuo nigros Hyperione vultus,
Exibilantes crinibus aspides,
Et manu sontes quatiens, severa
Sceptra, colubros,
Inde Quirinales supplex petit Africa sedes,
Exæstuantem quà ferens Titan diem,
Fuscos propinqua pingit Æthiopas face.
Quid meis multum Phaetonta campis
Largiùs almæ Æraria lucis
Divisisse juvat; male fausto Numine damnor
Æternos inter si vivere cæca nitores?
Non querimur Libycas busto Carthaginis altæ
Insultare Tigres, Punica dum feros,
O facinus! catulos Leonum
Curia nutrit.
Corruerint Tyriæ turres, cinerique superbo
Illudat petulans aura Favonii.
Nam quæ Colossis vel Babylonicis
Turrita latè Regna decidere abnegent
Jubente fato? Cœlo, & ipsis
Longa dies dominatur astris.

Ub.

Ubique noſtris, ſtrage Regnorum gravi,
Occurrunt ſolatia luctibus.
Vix lapſa fumo Troja ſuperſtite
Teſtatur ignem: Numinum muri labor
Ingens duorum, littori recumbunt
Pondus Dardanio grave.
Celſo nubibus arduis
Elata faſtu, ſeptaque fortium
Errore murorum, fatiſcunt
Clauſtra Semiramii laboris;
Et ſuperjectâ pavidus ruinâ
Euphrates remoratus iter, dum pervia ſaxa
Urget, ad æquoreas aditum non invenit undas.
Te quoque duri
Vertigo fati, deteruntque ſoles,
Roma, caduci.
Quâ renidentes tepuere Thermæ,
Inducta meſſor ventilat horrea;
Pannoſuſque greges inſtitor Appulos
Diſtrahit, & laſſis metatur caſtra capellis
Virgea, Idumæos ubi ſemita clara triumphos
Monſtrat, & inciſo pugnas diſcriminat arcu.
Longi pulſibus Ævi,
Ariete luſtrorum & duro ruitura labaſcunt
Quæ de futuris cunque laboribus
Mortalis poſuit manus.
Sed me nec letho datus Annibal,
Obruta nec Latiis tangit Carthago favillis.
Non arenoſis Aquilona campis
Pulvereis equitare nimbis,
Siticuloſis aut gravem terris Canem,
Non queror diros aluiſſe cæca
Ru-

Rupe colubros.
Africa fert colubros; auro tamen inde nocentes
Petuntur angues; ipsaque barbarus
Venena conducit redemptor,
Et Libycas, pretiosa, pestes,
Funera vendit.
Quin & supernis æmulatrix orbibus
Africa regnat.
Nexu catenato agglomerantibus
Ut se se monstris speciosior
Horrescit axis! spumeus mentum leo,
Teumesiorum terror ilicetorum,
Astra flagellat
Irrequietæ
Verbere caudæ.
Proles sicca Lycaonis
Rhiphæi patitur nives Bootæ,
Æolidumque
Classica Fratrum, &
Depræliantum turbines procellarum.
Picti referam sibila colubri?
An quæ Gnossiacus cornua Taurus habet,
Veris janitor aureus?
Canemque, lymphantesque Chelas,
Armatumque venenatis Chirona sagittis?
Fucata sacro scilicet auro
Monstra placent; gratus pertentat pectora terror
Cœlestis Libyæ; levis
Et tantos redimit metus
Bractea lucis.
Sed non hic miseram dolor;
Fibras altior exedit

Cura:

Cura. quot cernit nemorosus Atlas
Ludere frondes;
Ad Maura fluctus quot glomerat Notus
Littora; quot Libycæ Cauro tolluntur arenæ;
Tot, grege nigro,
Dat fontes Erebo male fertilis Africa prædas.
Ferre laboranti Libyæ, te Principe, segnis
Cur cessat medicam Roma salutis opem?
Non equidem merui: quamvis meruisse videri,
Si numeret Tibris munera nostra, queam.
Impia nam ritus coleret cum Roma profanos,
Clamosusque truci gauderet sanguine Circus,
Bellua, Getuli nobilis ira jugi,
Massylique Leones
Sæpe Theatralis pascebant gaudia pugnæ, &
Delicias populi cruentas.
Non ego nostris
Marmora dicam
Eruta venis;
Ausaque nubes
Findere saxa
Deficientis
Cuspide coni.
Templa Parethoniis radiant Romana columnis;
Multaque Memphis
Spirat in arce
Tarpejâ; simulacra, marmoratos
Arcus, Pyramidesque, Porticusque,
Atque novam Romæ dedimus de marmore Romam.
Sed non acervo marmorum dices rudi
Constare Romam: Curiæ augustum decus,
Populumque Regno solis æquantem vias,

Du-

Duces trophæis ęstima, & palmis graves,
Hìc Urbis almæ specimen, hìc Romam vides.
Nostra sed hoc etiam nomine Roma fuit.
Romæ turgebat certo nam sidere Nilus,
Divite limo,
Largâque Cerere Martiam superbus
Pascere gentem.
His mihi pro meritis, si te mea munera tangunt,
Si miseræ casus, Roma, repende vices.
Rore beato
Ablue, Tibris,
Frontes Æthiopum nigras.
Nec vela desunt, quæ salutares ferant
Impigra merces:
Sæpe terit portus puppis Ibera meos;
Nostros sæpe sinus Lusia classis habet.
Illa sed Occidui classis petit abdita mundi;
Eoum petit ista diem, & Gangetica Regna;
Africa spectatrix sola est: transmittere terris
Scilicet illa potest aliis Cœlestia dona,
Sed non ipsa frui, sola relicta, potest.
At si nivali Relligio manu
Christiadûm pia vela ducit,
Certumque pura dirigit clavum Fides,
Remota velis Regna petentibus,
Non ego proximior destituenda fui.
Forte minus neglecta forem, si Nilus arenas
Auriferas undis ageret, si littore Mauro
Prodiga flammivomos dispergeret unda pyropos.
Sed tu inaccessis inimice gazæ
Abditæ saxis, & in omne, Princeps,
Nobilis ævum,

Te

Te duce, terris
Si nova fulsit
Vena Salutis,
Vexilla nostris sacra recessibus
Pande adoratæ Crucis, & remotis
Fac venias Cynosura Regnis.
Tunc Vaticano stelliferum caput
Submittet Atlas cernuus, & jugo
Lætus optato, tua volvet ingens
Nomina Nilus.

AME.

AMERICÆ
AD INNOCENTIUM XII. VOTA:
DITHYRAMBUS
ODE IV.

BArbara ſum, fateor, ſed mites ducere vultus
Barbaries vultu cogitur ipſa tuo..
Hoſpes effœto veniens repoſti
Margine Mundi,
Viſa tibi primùm, victa ſimulque fui.
Ut mea carinæ Regna victrices doment,
Vela pererrato toties quid languida ponto
Ignotis juvat explicare ventis?
Quid æra prodeſt prodiga funerum,
Diſpoſitaſque neces inſternere puppibus altis?
Formidoloſo quid juvat alitis
Turbine flammæ
Velivolas ſaturare pinus?
Sponte capi, breviùſque vinci
Te ſolo poteram, Pater,
Principe viſo.
Marte licet celeri ſubactam
Non indecoro ſervitio premant
Reges Heſperii, ſuperant tamen invia remis
Regna Magellanicis, ligones
Senſit ubi violata nullos
Terra; nec juga celſa Mexicanis

In-

Invident glebis, nitidęque certant
Oppida Limæ.
Amnes largiflui, quos male turgidis
Æquet fluctibus Adria,
Vetitum remotis occulunt terris caput.
Gurgite fero,
Audax vix tibi, Cantaber,
Litoreæ patuere metæ:
Noſtra putes totidem latentes,
Flumina, Nilos.
Sed nunc, avaras quæ latuit rates
Altera Naturæ facies, tibi panditur uni;
Teque, Pater, Columen veretur
Urbis, & Orbis.
Ecce tuis ſupplex detecta fronte procumbit,
Sacris oſcula conſecratque plantis.
Inculto licet aſpera vultu,
Infuſi ſpiracula Numinis,
Senſuſque dicor non ego degener
Simplicis auræ
Hauſiſſe, fati neſcium caduci
Et conſanguineo genus
Ducere Cælo.
Rivo me quoque proluit
Fuſi Sanguinis ubere,
Merſas crimine terras
Qui trabe quadrifidâ piavit,
Cælicolûm Rector, melioris conditor Ævi.
Sed quando campis illa refulſerit
Exoptata meis dies,
Cum nutu mea Regna tuo migrare nocentes
Viderint peſtes Erebi, & refuſo

Lux,

Lux, & plenior aura Vaticano
Cæcas Tænarea ſolvat caligine terras?
Prima diem noſtris, dominatrix inclyta, Regnis
Hiſpana tellus attulit; & ſimul
Nota Tago, Cæloque fui: ſed vaſta ſuperſunt
Littora, Tartareis obnoxia littora monſtris.
Jus omne ſcelus eſt; odia pietatem vocant;
Lex una ferrum; barbarùm virtus ſonat.
Teſtare luctus tu meliùs meos,
Non humili tranſgreſſe aquilas, Columbe, volatu,
Clarior Tiphys, nimiùm doloſo
Credule ponto.
Quò tendis nimius tui
Innumeros fragili ligno complexe timores?
Magna tuo, Neptune parens, Europa profundo
Bella movet: tumido neque enim temeraria cœpto
Phlægra magis, cum Terrigenas induceret aſtris;
Surgeret Odryſiam quamvis Gradivus in haſtam,
Et crines Libyci Tritonia ſtringeret anguis.
Fruſtra diſſociabili
Me Natura freto abſcidit Orbi,
Si Ligur oris
Libera noſtris
Suppara tendit;
Undarum liquidos metus
Spernere fortis,
Auſus & indocili verendum
Miſcere pelago nomen; edomiti procul
Quod rauca reddant jurgia Nerei,
Et victis referant littora Gadibus.
Silicet Herculei fines, latèque retortis
Vorticibus metuendus Atlas,

Et navigandus maris inoffensi timor,
Avara vela non morantur, avias
Per siderum vertigines,
Præceps quæ rapit ambitus.
Extrue immanes adamante turres;
Caucaso Atlantem, Rhodopen Olympo
Junge anhelanti; pelago trecentas
Adde charybdes,
Irrita sacro
Nectis claustra Cupidini.
Ille per syrtes volat æstuosas,
Per laborantes Aquilone sylvas;
Nec belluosis saltibus asperi
Famem Leonis obviam,
Nec procellosis scopulosa Cete
Fluctibus horret.
Caliginosis provida cautibus
Abdidit ignivomos frustra Natura pyropos,
Damnaque fulvæ
Splendida massæ;
Audax sceleftâ cæca si fossor manu
Regna perrumpit, prope Dite viso,
Et mistus Erebo, Umbrisque Furiarum nigris,
Innocuæ rupis gremio per vulnera mille,
Venale condit sarculum;
Inauspicati sequitur & luti jubar,
Sole relicto.
Sed quò sinistrâ navigat alite
Explenda nullis vestra Peruviis sitis?
Lucra profanatas demum nocitura per undas,
Europa nisu quid petis tanto? meis
Quid damna, raptores superbi,

Er-

Eruitis pretiosa venis?
Improbis, puppes male quæstuosæ,
Parcite remis.
Si mala cum raptis liceat numerare metallis,
Morbosque, & scabiem gravem,
Reges Hesperiique, Lusiique,
Ignorata forem vestro felicius Orbi;
Turgentemque minùs forsan Vespuccius Arnum
Redderet; & Ligures Puellæ
Parciùs intonsos montes resonare docerent
Clari nomen Alumni.
Non ipse toto dissitas Cœlo plagas
Alcides ausus remis tentare sinistris.
Quà pelago lapidosa Calpe
Dat latus, & segnis statuit confinia Mundi,
Extrema vestris littora puppibus
Scripsisse fertur. Sistite fervidæ
Rates, fatigatosque longo
Exilio prohibete remos.
Ponite spes tumidas effœtis ponite terris:
Et vos modestus terreat Hercules.
Hæc ille; sed frustra. Ocyus Herculem
Risere pinus, quas vetitas Ligur
Egit per undas, fabuloso
Magnanimus dare vela mundo.
Quò quò furentes vos miseri rapit
Libido lucri? parcite inhospito
Quæsisse ponto fata: raras
Crediderim senuisse puppes.

JACOBO SECUNDO
MAGNÆ BRITANIÆ REGI

Simulacrum extollitur.

ODE V.

ABesto vulgus. Non ego Pythiis
Profana lauris molior impudens
Delubra; fortes quæstuosus
Reddat ubi fatuas Sacerdos.
Exsibilantes non mihi Gorgones
Coruscat aris Pallas ab Atticis;
Nec marmorata consalutat
Trinacrios Erycina fluctus.
Gementis Ætnæ stridat aheneus
Incude Mavors: Fana Diespiter
Colat, metalli fulgurantis
Sordidior pretio. pudendas
Calcamus aras. Non ego sordidæ
Divinitatis cultor: hiantibus,
Me Vate, non vivent Deorum
Crimina vermiculata saxis.
Occurre Cœlo cedrina conteri
Moles; sonanti non Tamesi procul,
Spirante quâ vivat metallo
Parrhasii Dominator Orbis.

II.

Illam remoto proſpiciat jugo
Procul viator languidus; Arcticæ
Illam procellæ, refluiſque
Oceanus veneretur undis.
Pictum reſecti jam mihi marmoris
Frigus Cariſtos candida convehit;
Scandunt laborantes carinas
Jam Libycæ, Phariæque rupes.
Non ſolus olim viderit aſpera
Reptare dulci marmora barbito,
Et montis Amphion ſequaces
Ogygii properare cautes.
Spirare tanto quælibet ambiant
Metalla vultu. jam Phrygius lapis,
Paroſque decurrit, perenni
Nobiliter crucianda cœlo.
Sculpatur alta Martius indole
Heros: favillas lumina nobilis
Iræ renidentes, & hauſtus
Sidereæ fateantur Auræ.
Ferocientis nulla ſupercilj
Nubes ſedentem fronte meridiem
Contriſtet, invictoque mites
Ore ſuper Charites triumphent.
Sed temperata vultus in Iride
Coruſcus, æqui non renuat tamen
Faſces Gradivi, & fœderatas
Magnanimo bibat ore flammas.
Claros metallo Fama ſuperſtite
Scribat triumphos; & litui gravis
Non parca, rixaſque, & cruentas
Uſque velit memorare pugnas.

Tumultuoſo dicat idoneum
Ponto catenas nectere, & avias
Egiſſe ſpumantes per agros
Flandrigenûm, Batavûmque puppes.
Dicat rebelli fræna licentiæ
Injecta ferro; dum Tameſis truci
Adhuc cruore decolores
Oceano male lavit undas.
Vides ſerenum quantus in aera
Surgat Coloſſus? jam tremit invida,
Damnatque, portentum ſuperbum,
Victa Rhodos Simulacra Solis.

AD

AD MAXIMILIANUM BAVARIÆ DUCEM,

Virili Sobole recens auctum, dum ipse in Hungaria exercitum duceret.

ODE VI.

INter ſeveros quæ lituos ſtrepit
Audax jocoſo murmure nænia?
Aut unde vagitus feroces
Magnanimo ſonuere cantu?
Magno ſecundant ſidera Noricas
Infante cunas: & genus inclytum
Tranſmittit in ſeros Nepotes
Auſtriadum, Bavarûmque partus:
Non Aula lento degener otio
Relicta languet: munere Cœlitum
Sed auſpicato in perduelles
Prole nova ſoboleſcit hoſtes:
Hauſtis Tibiſcum dum galeis gravem
Impellit haſta; Sithoniis jubar
Formidoloſum dum catervis,
Bojarii micat ira Martis;
Dum fulguranti ſplendidus ægide,
Præ ſe cruentos Ductor agit metus,
Arceſque, turreſque, & refringi
Indociles tremuiſſe muros

Cogit minaci cuſpidis impetu;
Nuruſque longos ducere Thracias
Queſtus; Abydenaſque triſti
Clade jubet trepidare matres;
Senſit phalanges, ſenſit equos Puer
Procul frementes lactis & Uberum
Faſtidioſus; aureaſque
Vela putans, pharetraſque, bullas,
Parvos lacerto ſtringit acinaces:
Quin, & Paternæ jam teneras manus
Innectit haſtæ; jam rigentem
Faſciolis religatus enſem
Et dulce torvæ fulgur adoreæ,
Per ſcuta reptans, per galeas, petit;
Pugnaſque, & ingentes ruinas
In Geticos meditatur hoſtes.
Quæ luctuoſis omina Thracibus,
Quæ ſæva pandam funera præſcius
Vates? fatigatam paternis
Auſpiciis Aſiam revellet
Decorus Infans. Jam video procul
Pallere Lunas mœnibus hoſticis,
Tigrimque, Jordanemque captis
Altiùs infremuiſſe ripis.
Favens ſecunda cernitis ut face
Refulſit æther? annuit, annuit:
Votiſque rite nuncupatis
Sidereæ Dominator aulæ
Subriſit. Orto non ſecus Herculo
Sulco coruſcus Juppiter aureo,
Longoque vulgavit tonitru
Attonitis fera fata terris.

Time-

Timete monſtra. En impiger Hercules
Auras ſalutat: nunc ſuperabiles
Spectabit Hydras Lerna; inertes
Noverit & Nemee Leones.
Utcunque cunis parvulus ingemat,
Ferocientes proteret aſpides;
Duris venenatam lacertis
Non pavidus ſuperare peſtem.
Feras nocentes territa nutriet
Impune nullis terra receſſibus;
Non rupe condet ſaltuoſa
Municipes Erymanthus apros.
Non ipſe poſtes tutus ad invios
Triformis Orci Janitor æneos
Nexus catenarum, & triſauci
Effugiet fera vincla collo.
Cui dulce primas ſpargere ſordido
Cruore cunas, Mænalias aves
Adultus, Oſſæis bimembres
Nubigenas paveatque campis?
Odit timendam ſæva ferociam
Noverca; monſtris nec facilem mori
Stupet trecentis; turgidoque
Devovet ambitioſa faſtu
Inſcripta duris aſtra laboribus,
Stellata Cancri brachia, belluæ &
Jubas Cleonææ; pudetque
Herculeum coluiſſe Cœlum.

DI.

DIVA CATHARINA SENENSIS

Oblatam sibi ab Angelo Coronam floream rejicit, spineam eligit.

PALINODIA

EX SACRO SALOMONIS EPITHALAMIO

Fulcite me floribus, stipate me malis; quia Amore langueo.

ODE VII.

QUis me refusis roribus allevet,
Vernante Cisson quâ pede labitur,
Rosasque, declivesque largo
Lene fluens rigat imbre calthas?
Agit supinis aut ubi vallibus
Fluenta Cedron vitreus aspici?
Lucoque Jordanes beato
Quâ vitreum caput hospitali
Cedro coronat? Spargite me sacris
Lymphis sodales; huc male desides
Citate gressus; ęstuosis
Flumina deproperate venis.
Reclive saltem floriferis caput
Umbrate sertis; pomaque de sacro
Afferte Carmelo, & rubentem
Purpureis amaranthon arvis.

Ami-

Amica nodis ſerta hyacinthinis,
Et flexuoſis nectite amaracis,
Crocumque, flaventeſque pictis
Cum cythiſo violas capillis.
Quis me virentis culmine Hierici,
Siſtatve gratis uda Favoniis
Quà murmurat ſylvoſa Mambre,
Textilibus camerata ramis.
Aut tortuoſis tonſilis Aſcalon
Arguta rivis, quà genialibus
Buxeta Mæandris, virenteſque
Implicat illaqueata fraudes.
Felix, nitentis ſi topiaria
Cades reviſam! protinus aureos
Odora prodirem capillos
Vere novo redimita, & omni
Inſignis Autumno. urit Amor fibras
Cordis latentes, dulcis amantium
Amor Tyrannus; qui pharetram
Miſſilibus gravidam ſagittis
In me retorſit; quam trepidi metus,
Quam fel liquenti nectare dulcius,
Effrenis & cupido luctus,
Implacidis graciliſque curæ
Sequuntur alis. Me violis, roſiſque,
Et melleis fulcite cydoniis,
Maliſque, citriiſque, curvant
Quæ tremulas oneroſa matres.
Quotquot fragrantes diſcolor Irides,
Gignitque pictos area Protheos,
Stipate; fulcite æſtuantem
Faſciculis, calathiſque florum.

Talis furebat dulcè, per avias
Incompta valles, perque comantium
Dumeta ſylvarum, trecentis
Sponſa ſinum lacerata telis:
At non roſetis, nec violariis,
Aduſta flammis pectora temperat
Etruſca Virgo: quin roſarum
Ite breves, ait illa, flores,
Dum lecta pratis ferret Olympicis
Blandus coruſcâ ſerta Puer manu;
Valete vernantes corollæ,
Vana meis medicina morbis.
Non immerentem gratior occupat
Urtica ſęvis hiſpida frondibus
Frontem; rubique, cuſpidatis
Vulnifici jaculiſque vepres.
Ornet cruentum cum caput aſperis
Dumis Jeſus; non licet aurea
Per colla diffuſos capillos
Floriferis radiare ſertis.
Hæc fata, flores rejicit, & rubos
Læta renidens arripuit manu;
Frontique defixos nivali
Ter valido premit ungue ſentes.

De Pulvere Cyprio.

ODE VIII.

SEd nec incesti meretrix Canopi,
Cyprio fontes madefacta crines
Polluit nimbo, teneroque fulsit
Grata Quirino.
Non inexpletos Phrygiis Puellis
Dardanas luctus referens per undas,
Cæpit incautas niveis capillis
Pastor Amyclas.
Turpe mentitus senium nivosa
Fronte, nec pennas volucris superbæ
Pressit audaci Puer ungue celsâ
Raptus ab Idâ.
Non satis lenti fruticis Sabæi
Lacrymant rores? Sicyone bacca
Parcit effœtâ saturare flavas
Ebria frontes?
Præcoces canos simulare pulvis
Cogit insanus; niveoque passim
Imbre certantes imitamur albas
Crinibus Alpes.
Signa jam feræ properata brumæ
Horret, aspersos nivibusque cirros,
Quos colorato modò pinxit auro,
Flava Juventus.
Siccine extremi memores sepulcri
Esse mortales juvat? imminentem

Sic ſuis dudum properamus armis
Fallere Mortem?
Imus in præceps: nova monſtra luxus
Poſteri diſcent. ſimulacra lethi
Fecimus pompam; luteoque gliſcit
Pulvere faſtus.

AD

AD P. ANGELUM ALAMANNI SOC. JESU

Provincialem Romanum, in Theologicis disciplinis Præceptorem meum, cum Rector Collegii Romani ad Urnam B. ALOYSII GONZAGÆ *Splendidissimum Sacellum extollendum curaret.*

ODE IX.

JAm ferit nubes radiata gemmis
Ara votivis: nova dedicatos
Urna Gonzagæ cineres refuso
Perpluit auro:
Quam colet, sacris cumuletque donis,
Mensus hibernas novus Hospes Alpes,
Aut pererrato veniens remoti
Margine Mundi.
Tu moras lentis, Alamanne, lustris
Exprobras longas nimiùm, gravesque;
Vota torqueri pateris nec almæ
Fervida Romæ.
En, tui fines imitata cordis,
Laxior moles rutilans, sepulcri
Impares cultus, & iniqua damnat
Saxa vetusti.
Celsa Mantoi monimenta busti
Tu breves cogis properare Lunas;
Quæ nec extenti series, laborque
Audeat ævi.

Furta Getulæ pretiosa rupis;
Flexa subsidunt, maculosa venas
Saxa liventes; nitidamque fulcit
Africa molem.
Luteas figit, nova fulcra, cautes
Desuper Memphis; crocinas per oras
Sed virens latè nitet explicato
Area campo.
Dives hic scutum Cyanus colorat;
Aspera auratis ubi ducta signis,
Tessera effulgens, trifido maritat
Sidera rastro.
Hinc & hinc doctis sinuata spiris,
Nexili & circum rutilans Corintho,
Tollit ingentes, viridisque vestit
Sparta Columnas.
Sed tegit celsas Ephyræa frontes,
Defluo fornax & inundat auro;
Perque Mæandros foliata centum
Lilia ludunt.
Monstrat obliquo procul undulatæ
Sed sinu gazas onychis, recurvo
Quæ latet flexu, refugitque cæco
Pila recessu.
Sculptus hic certo petit astra gressu
Prægravis palmis Juvenis, beatos
Cui dedit cunas generosa Manto
Inter Olores.
Scanderet nubes Puer, & merenti
Igneas nisu superaret arces;
Sed piget sacram spoliare tanto
Lumine Molem.

Tæ-

Tænias, rupis pretium Sicanæ,
Et graves arcus loquar? & columnas
Quas procelloso famulata vexit
Aura Peloro?
Quid solum cæsis asarota dicam
Testulis picto variare lusu?
Signa quid serus referam, & Latini
Æra Myronis?
Quos Apellæa bibit arte fornix,
Eloquar vultus? animosa miris
Illito solers ubi ludit auro
Dextera formis.
Sive Gonzagæ jubar, & perennis
Imperj fasces speculetur oræ
Virgo Tyrrhenæ decus, & superbæ
Filia Floræ. *
Seu verecundum studiosa casti
Consilj Mater * relevet; ministret
Sive flagranti sacra Purpuratus
Liba sacerdos.*
Fusilem custos cinerum resorbet
Urna Pactolum; Temesesque duris
Dędalo fulget revoluta lapsu
Ansa metallis.
Dives epoto simul ardet auro
Concolor Cœlo lapis, ęstuosi
Cæca quem volvit Libycas ad oras

Z Ira

* *D. Maria Magdalena de Pazzis in Fornice expressa B. Aloysii Cęlestem gloriam suspiciens.*
* *Deipara Virgo dicta à bono Consilio ibidem dępicta, cum B. Aloysium suavissimo alloquio dignaretur.*
* *S. Carolus Borromæus expressus dum primum B. Aloysio Panem Angelicum ministraret.*

Ira profundi.
O quibus castus rubor, integerque
Candor est cordi, Juvenes, perennes
Conscii ad fidos cineres Alumni
Nectite flores.
Chloridos largos, Zephyrique fœtus,
Spargite hìc flammas imitata, plenis
Spargite hìc nimbis imitata canas
Serta pruinas.
Blanda pratorum Venus, at pudica,
Picta nativo rosa vernet ostro;
Sed priùs duros, nocitura demat
Spicula, sentes.
Textili frondes nive turbinatas
Lilia inversis calathis refundant;
Annuant ultro sedenim pudico
Pectore vinci.
Crine Gonzagæ titulos superbos
Luteo fragrans, hyacinthe, scribas;
Nec leves fastus, veterumque cures
Nomina Regum.
Non ego exangues, timidasque magno
Asper excludam violas sepulcro:
Celsa Gonzagæ meruit decorus
Sidera pallor.
Quin & Eois lacrymata truncis
Balsama, & totas segetis Cilissæ
Hauriat messes, tepidosque solvat
Urna Sabæos.
Quis furor nullo ruitura lapsu
Busta moliri Phariis Tyrannis;
Et superjectos tumulis pudendis
Per-

Perdere Montes?
Cæſa nimirum juga, ſumptuoſus
Phidiæ ſudor, gravideque Turres
Pulveris fluxi tenues acervos
Ferre laborant.
Molliter ducto Polycletus ære,
Et Scopæ durus labor, an voraci
Neſcias labi cinerum favillas
Afferat Ævo?
Ardor, & demens adigit cupido
Ire jactanti ſtygias ad umbras,
Atque ridendo tenuiſſe centum
Jugera letho.
Interim, cymbæ ſpatiis iniquis,
Dum Charon Umbras recipit paventes,
Ridet inſanas fatuis ſepulcris
Surgere Moles.

Ad Posthumum stultum Amatorem.

ODE X.

IGnes siderei, Posthume, dum tibi
Cognati radiant luminis illice,
Qui summi nitidas excubias agunt
Ad Prætoria Numinis;
Cælestes choreas asper, & aureæ
Rides aucupium lucis amabile;
Effossis oculis, & male callidus
Mimus, Tiresiam refers.
Idem cum tremulis Lesbia nutibus,
Venalique potens lumine riserit,
Heu! damnosa miser sulphura combibis,
Ustus lampade Cypria.
Et binos oculos astra vocas: placent
Nimirum fragili fronte micantia;
Æternis fatuo quæ male calculo
Damnas clara nitoribus.
Illis ut faveas, quæ face noxia
Incautum perimunt, tu nebulis croci,
Tu vernante rosa pexus, & Indici
Manas vulnere corticis.
Illis ut placeas, quæ radiis vocant
Te consanguineis, non scelerum nigra
Demens illuvie, non stabulantibus
Purgas corda Draconibus.

Er-

Ergo aut ſideribus diſce vocantibus
Mutatus rigidum flectere verticem:
Aut parcas oculos ſidera ſubdolæ
Poſthac dicere Lesbiæ.

AD LOLLIUM

Ne ad extremam ætatem ſanctioris vitæ conſilia differat.

ODE XI.

RAuco credulus Adriæ,
  Hamatum ſcopulis qui mare verberat,
Pictis nauta Liburnicis,
  Riphæo meditans prælia claſſico,
Cum veſanus acinacem
  Devexi Boreas ſtrinxit Orionis;
Cautes ſi piger Appulas
  Ceſſat ſolicitis prendere palmulis,
Debet Chaoniis grave
  Saxis ludibrium, ſerus Atlanticas
Queſtu flectere Plejades.
  Primo non aliter vere puertiæ
Euri turgida ſibilis
  Maturus moneo lina retorqueas,
Lolli; morſibus anchora
  Et fidis pavidam vinciat abietem;
Nudam remigio Palus,
  Intorto novies reflua vortice,
Ne Cocytia ſorbeat.
  Ætas curriculo dum viget integro,
Stultâ quid ſequimur ſiti,
  Lotoſque, & cyathi mella venefici,

Sæ-

Sævæ munera Colchidos?
  Languemus miserùm quid Cythereio
Fossi pectora vulture?
  Nimirum niveis cum caput imbribus
Sparget deterior dies,
  Pugnacis Libyæ syrtibus asperis
Ledææ referent faces
  Rimosum piceæ fluctivagæ latus.
Te, Lolli, caveas levi
  Ne spes illaqueet credula somnio.
Brumas Nestoris algidas,
  Infirmasque manus fulta adamantinis
Rident sidera vestibus.
  Primævo viridem robore si pudor
Grato murice tinxerit;
  Morum temperies aurea consono
Si laudum niteat choro,
  Tunc, sulco niveæ lucidus orbitæ,
Bigis sidera plumeis
  Intrabis, merito læta celeusmate.

AD
B. STANISLAUM KOSTKA,
Ut AUGUSTO II. *Poloniæ Regi Polonæ nobilitatis studia conciliet.*

ODE XII.

ARctoi columen, ſplendor & Imperj,
Illibate Puer, quo generoſior
Canas Viſtula lauro
Prætexit viridi comas;
Celſæ purpureo nubis in eſſedo,
Nimbos tu patriis mœnibus hoſticos
Parmæ fulgure diſflas,
Gentis præſidium tuæ.
Io! præcipites ſigna revellere
Feſtinant acies; Sarmatici & procul,
Verſo Thracia tergo
Horret ſpicula Perſei.
Vitkindi ſoboles Martia te, Puer,
Faſces compoſitos ſentiat Auſpice,
Pacatoſque revectâ
Fines Iride Lechicos.
Illum Relligio, curaque Cælitum
Solers ſidereis reddidit arcibus;
Lethęoſque ſecunda
Nexus explicuit manu. *

Scin-

* *Auguſtalis Saxoniæ Septemvir, Hæreſi ejurata, Poloniæ Rex ſalutatur.*

Scindit vipereas Tisiphone comas;
Et raptor stygius terrifico gemens,
Prædâ mœstus ademptâ,
Pulsat Tartara sibilo.
Illum sanguineis Gloria plausibus
Invisum Geticis matribus extulit,
Centum nectere torvo
Fortem vincula Bosphoro.
Testis qui rapido volvit adhuc sinu
Arcusque, & galeas Danubius, subit
Et peltata cruento
Cornu littora Amazonum.
Quod si nectareis vecta curulibus
Æstus mollierit Pax bona civicos,
Læta & rura bearit
Certo fœdere Faustitas;
Ultra Sauromatas, & juga Caucasi
Optatâ Imperium proferet alite;
Et mordebit ahena
Captus fræna Borysthenes.

AD

VIRGINEM DEIPARAM

Cum ad ELISABET *invisendam per montana Judeæ iter susciperet.*

PERIPHRASIS PALINODICA

Ex Cantiuncula Francisci Petrarcæ, quæ incipit *Lieti fiori, felici, e ben nate herbe.*

ODE XIII.

JUdææ Zephyritidos,
  Flores turgiduli, gloria nobilis;
Et vos, flabra Favonii
  Quos lactant virides mitia cespites,
Virgo vos pede Nazaris
  Cùm lactente premet, prætereuntibus
Plantis oscula, cernuis
  Certatim moneo figite frondibus,
Pulcher provocat ambitus
  Si vernare novis semper odoribus.
Gratum littus, & Hospitâ
  Felix Isaciâ, dum modulos bibes;

Du-

Durum flectere Gelboe ,
  Et Cisson dociles sistere præpetem ,
Dulces aura sonos, cave,
  Ne livens sociis perdat Etesiis:
Et dum candiduli pedes
  Calcatum tepida te nive proterent ,
Pastores, cave, mollia
  Persultent olidis signa bidentibus.
Rivis, sylva, loquacibus ,
  Et pictis volucrum garrula næniis ,
Truncis mella madentibus
  Jessæo paries sole beatior ,
Hebron quo riguum nemus ,
  Quo palmeta Cades, nubiferæ juga
Quo jactantius Engados
  Intonsis feriunt sidera fastibus.
Jordanes, Hyperionis
  Artus ablueris cum face languidos ,
Lota Virgine purior ,
  Festines celeri turgidus alveo.
Sed multis Libani caput
  Ornatum spoliis , cum male degener,
Obscœni gremio lacus
  Condes , colluvie tu picea , cave ,
Fœdo & gurgite polluas
  Felicem laticem , qui niveum jubar
Frontis tersit eburneæ.
  Quamvis sulphureo perditus æquore
Nec miscebere ; quem priùs
  Incensum radiis dulce micantibus
Binæ crediderim facis .
  Quin lento scopulos igne liquescere ,

Et cautes reor obvias.
  Felices ſcopuli! vos placidi duplex
Urit flamma ſupercilj:
  Me veſtri ſtimulans urit honos rogi.

FINIS.

Erra-

Errata.

Pag. 51. verſ. 15. deferendam. *lege.* deferendum. pag. 67. verſ. 13. *dele.* punct. pag. 115. verſ *ult.* Nec mora ſanguinei. *leg.* Nec mora. ſanguinei. pag. 126. verſ. 21. cornua. *leg.* cernua. pag 138. verſ. 21. at. *leg.* aut. pag. 155. verſ. 6. ſævitiem. *leg.* ſævitiam. pag 173. verſ 21. fauſtæ, . *leg.*, fauſtæ. pag. 174. verſ 20. nequiddam. *leg.* nequidquam. pag. 190. verſ 25. vellere. *leg.* vellera. pag. 207. verſ. 9. mei. *leg.* meis. pag. 224. verſ. 17. Ille. *leg.* Illa.